


**MONIMENTA ANTIQUAE URBIS ROMAE AD ARTES ELEGANTES
PERTINENTIA:
ITINERARIUM LATINE ADUMBRATUM**



BREVIS PRAEFATIO:

Roma, urbs antiqua et longaeva, insuper etiam aeterna persaepe vocitata, urbs, quae erat olim capite potentis imperii functa, crescentis initio inter continua cum vicinis ac remotis populis armata certamina, deinde immodice ingentis et splendide florentis, postremo autem «mole sua» (si licet Horatii verbis uti) ruentis, qualisnam aetate huiusce imperii illa urbs inclitissima visitatotibus suis apparebat?



Nostris diebus Musaeum quoddam Romae visi potest in proximo saeculo conditum ad Romanas antiquitates in plasticis necnon planis imaginibus instaurandas, quod Romanae Civitatis Musaeum appellatur. In una autem eius aularum, spatiosa atque celsa, est copia venientibus data urbem Romam antiquam, etsi effectam ac valde deminutam, tamen visu claram satis et distinctam, e loco superiore contemplari. Hic Roma, quasi de volatu avium conspecta, spectatoris animo placida, omni tumultu et discordiis prorsus aliena apparet. Constat nihilominus certe vitae Urbis veram quietem, ut non dicam museale silentium, nunquam antiquitus proprium fuisse. Audiamus, exempli gratia, Iuvenalem (III, 193 – 196; 243 – 248; 268 – 277) vitam Romae cotidianam sui temporis imaginaliter describentem:

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
 Magna parte sui: nam sic labentibus obstat
 Villicus, et veteris rimae contexit hiatum,
 Securos pendente iubet dormire ruina.
 ...
 ... Nobis properantibus obstat
 Unda prior; magno populus premit agmine lumbos
 Qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro
 Alter; at hic tignum capiti incutit, ille meretram.

Pingua crura luto; planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.

...

Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit; quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadant, quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te praetereunte, fenestrae!
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves.

Interea Roma quamvis tumultuosa, inquieta et trepida, nobilissimis electissimisque artis operibus e diversis partibus Imperii, ex Graecia maxime, convectis redundabat. Sed ea debite mirare, in eis diu et deliberando animum pascere num Romae tunc satis commode erat? De hoc Plinius Maior (XXXVI, 27) talia refert:

«Romae quidem multitudo operum et iam oblitteratio ac magis officiorum negotiorumque acervi omnes a contemplatione tamen abducunt, quoniam otiosorum et in magno loci silentio talis admiratio est.»

At maxima pars inquilinorum, qui Urbem Imperii temporibus inhabitabant, erat illa nonnullis Romanis scriporibus significanter depicta hominum multitudine, tam inculta quam ad perpetuum tumultum assueta et eidem tumultui sicut suo domino parens. Auctoritas veteris famae operibus Graecis Romae expositis propria tunc profecto omnibus et etiam illi multitudini respectum imposuit, sed nova opera, architectonica et alia, ad publica loca decoranda praedestinata, illi vulgui grata esse debuerunt, ut impensa fabricationis excusarent. En causa cur, si litterae Romanae ad culta ingenia praecipue destinatae Graecorum exempla saepe aequabant elegantia sua (et nonnunquam etiam vincebant, ut Lucretii «De rerum natura» poemata Graeca eiusdem generis vicit), illa ars Romana, quae ad fora et vias erat faciunda, fuit arte Graeca classica, quamquam exemplari ad illam formae respectu, ferme rudior tumidiorque. Formis enim classicis Hellenicis utitur, ab Hellenico tamen sensu aequilibritatis modique servandi longe abest. Quod non est mire; nempe triumphi eam spiritus intus imperiose regit, legem illam supremam classicae formae neglegens aequitatem diversorum principiorum postulantem, ex qua neglegentia ambiguitas aestheticae expressionis necessarie paritur.

Agnoscere tamen oportet artem Romanam publicam in ea discrepantia inter formas classicas et spiritum triumphalem potestatis usum artis hellenisticae, ei primo contemporaneae, at post Rem publicam Liberam interitam iam antecedentis, continuavisse et expandisse. Atqui Romana ars, etsi talis, non minus saltem, ac ars hellenistica est quam studio tam exploratione doctrinali digna. Cuius rationes principales hae sunt:

Primo. Quamquam artis Graecae permulta monimenta classica nostris diebus accessibilia et visibilia archeologorum opera sunt, res tamen se non semper ita habuit. Ars Graeca vera non prius ac saeculo duodevigesimo, beneficio praesertim Britannicorum exploratorum et artis fautorum, aperiri incipit. Antea vero eius formae atque regulae notae erant solum per Romana monimenta antiqua, maiore ex parte in Urbe durantia, ex quibus illae artificibus Europensibus abunde hauriebantur; nam tali modo in Italia Renascentiae ars pulchritudinem Hellenicae artis propinquam et perfectionis verticem olim attigit. Igitur Europensis ars postantiqua investigari in totum non potest sine accurata scientia Romanae artis, quae erat functa quasi conciliatrice inter illam et concinnitatem Graecam. Monimenta autem urbis Romae antiqua sunt in eam sententiam profecto maximi ponderis.

Secundo. Oportet praeterea meminisse, quod Urbs ipsis Graecis operibus antiquitus redundabat, quum veris tum imitatis, quorum illa raro haec autem crebro post antiquitatem exeuntem inveniebantur, eo ipso uberrimam materiam inquisitoribus Graecae artis adhuc praebendo.

Tertio. Opera eximiae artis in arte quoque Romana, ac haud raro, eveniunt; etenim non omnis Romana ars ad laudandam publice Imperii potestatem, artem ex solito enervantem, fuit intenta. Ceteroquin opera palmaria tanto hic sunt frequentiora, quanto longius harum argumenta illis potestatis laudibus distant. Quo autem ad opera huius artis laudativae, haec est etiam non omnino neque semper infecunda: magni momenti est efficiendi tempus. Nam post Augustum regnantem ars publica potestati serviens fit sumptuosior, tamen invicem inanior penitus atque insipidior.

Quarto. Ars Romana antiqua ideo quoque est exploratione digna, quod est ars ipsa, quae propriam historiam habet suis legibus directam et moderatam atque simul vitam civitatis omnimodo in se refrangit.

Quinto et postremo. Urbs Roma una cum monimentis suis erat antiquis temporibus area postica vel scaena principalis ad eventa magnae, omni mundo gravia et utilia documenta afferentis antiquae Romanae historiae. Tamen huius investigatio sine illius scientia maturum fructum ex se non edit. Idem dici potest etiam de litteris Romanis, quarum argumenta saepenumero ad Urbem, eius loca: fora, vias, templa etc. pertinent. Roma est urbs praestantissima, ubi sortes orbis terrarum in eius magna parte se temporibus antiquis et

posterioribus definiebat, quam ob rem omnia in rebus urbis Romae inclusa, in his etiam ars, magnum studium excitabat semper excitabitque.

AMPHITHEATRUM FLAVIUM et eo ADIACENTIA:

Amphitheatrum Flavium: collocatum in valle inter montes Palatinum, Esquilinum et Caelium iacente ac post finem antiquitatis notum sub Colossei quoque nomine, quod adeptum est Colossi (v. infra) propinquitatis causa, incipit hoc amphiteatrum aedificari anno 72 Vespasiani principis nutu , illo loco, quo ante lacus manufactus se porrigeberat ad agrum domus Neronis (v. DomusAurea) pertinens. Consecravit autem hoc amphitheatrum, orbis Romani maximum, iam



Vespasiani filius et successor Titus anno 80. Idem tunc ad honorem consecrationis centum dierum ludos edidit, quibus precedentibus quinque milia bestiarum occisa fuerunt.

Hoc aedificium, ingentis ellipseos, 188 metra longae et 156 transversae, formam ichnographice habens, altitudinem 48 metra attingit. Parietum eius externa corona ex lapide Tiburtino omnis facta, in

quattuor tabulata dividitur, quorum inferiores tres ordinibus octogenorum arcuum olim informata erant, superius tamen pariete prope totum coopertum. Arcuum pilae semicolumnis diversorum generum ornatae sunt: generis Dorici in infimo, Ionici in secundo, Corinthii in tertio tabulato. Quartum tabulatum parastadibus generis Corinthii parum excedentibus et non ita latis divisum est. In quoque secundo inter eas intervallo singulae fenestrae videntur, forma quadratae, dimensione parvae, in intervallo autem quocumque ternae projecturae, quae antiquitus magnas perticas consolidaverunt, velarium (id est velum super circu distentum et a sole nimium calido protegens) tenentes.



Amphitheatri cavea septuaginta milia spectatorum capiebat. Ad sedem suam pervenire poterat spectator per portam sub quoque arcu infimi tabulati factam. Intromittente tessera (omnibus gratuita) accepta, qua numerus portae significatus fuerat, inveniebat pefacile spectator ei requisitam portam eodem numero superne

notatam et inde cito caveam per fauces atque gradus cameratos capiebat. Si tamen spectator persona multum valens erat, is per unam de quattuor portis numerum non habentibus et in extremis axibus principalibus huius aedificii collocatis intrabat. Per sedium ordines disponebantur spectatores secundum cuiusque condicionem publicam. Sedes arenae propinquissimae erant nobilibus destinatae. In eandem altitudinem elevatae, erant sitae ad extremos axes principales cubicula pro ipso principe et eius familia, pro magistratibus maioribus, vestalibus et sacerdotibus. Ordinem sedium supra positum eques occupaverunt, tertium autem et quartum alii viri equibus inferiores, denique summum ex ligno fabricatum mulieres variorum condicionum. Arena dimensionem 78×46 metra habens de tabulis erat confixa et pulvere flavo conlecta. Sub arena omnis apparatus pro ludis necessarius servabatur, verbi gratia, machinae, ornamenta scaenica picta et arma gladiatorum. Polyspasta ibi constituta gladiatores et caveas cum feris bestiis ad arenam levabant.

Exito antiquitatis tempore, post multos saeculos depraedationis et destructionis, quibus Amphiteatrum subiectum erat, hoc Romanae architecturae monimentum ruina magnifica factum est ac hodie remanet. Amphitheatro in locum commemorationi martyrium Christianorum destinatum converso (quod significabat crux procera in arena institutum) depraedatio quamvis desiit, damnum tamen aedificio prius inflictum fuit iam irreparabile. De externa corona parietali superest nostris diebus prope tertia pars, quae ad septentrionem spectat. Supersunt etiam substructiones caveae, quae ipsa tamen omnino periit.

Meta sudans: Aqua saliens. Ab Domitiano imperatore 96 AD constructa, sita erat in loco, quo quinque regiones Urbis coeunt. Formae suae cono vicinae gratia est metae circensi similis. Initio tota fuit marmore cooperta. Verbum ‘sudans’ in eius appellatione per imaginem perpetuam effusionem aquarum exprimit. Temporibus Mussolini erat diruta, sed eius basis et circa eam piscina magna hodie supersunt.

Colossus: Signum ex aere colosseum (altitudo prope 40 metra), primitus Neronis principis effigies, mandatu eiusdem *Zenodoro*, sculptore graeco inter annos sexagesimum et sexagesimum octavum facta et in vestibulo Domus Aureae (v. infra) initio posita. Post damnationem Neronis a Senatu anno 68 mansit loco eodem, sed anno 75 princeps Vespasianus convertit eam in simulacrum dei Solis, diu postea sollemnis quotannis cultum. Anno 128, postquam Hadrianus aedificationem templi Veneris et Romae (v.) hoce loco molitus erat, fuit colossus, duce *Decriano* architecto ac vi quattuor et viginti elephantorum, in positione directa ad novum situm, i. e. prope Amphitheatum Flavium (v.), non longe a priori abstantem, transportatus. Commodus (regnavit annis 180 – 192) substituens in locum capitinis Solis caput suo simile, convertit Colossum in simulacrum Herculis, cui princeps ille se aequaverat. Tamen iam nummi saeculi tertii ostendunt eum in pristinam formam dei Solis conversum et rotam Fortunae in manu tenentem. Colossus evanuit aliquando temporibus Medii aevi, verisimile recocitus; baseos autem eius reliquiae fuerant anno 1936 dirutae. Tamen memoria Colossi ut videtur in nomine vicini amphitheatri, Colossei restat.


Templum Veneris et Romae: Secundum Sacram viam, in parte eius Summa Sacra via nominata, loco eo, quem pridem Domus Transitoria (v.) Neronis occupaverat et quo iam post Domus demolitionem Colossus eiusdem principis ut pridem exsurgebat, molitus est Hadrianus (regnavit 117 – 138) fanum exstruere duabus deis, Veneri et Romae, dicatum, Romani imperii celebrandi gratia, quod illo tempore suam maximam prolationem et summam vim attigerat. Templum hoc anno 121 consecratum, est quum sua dedicatione tum hanc secuta ichnographia parem non habenti notabilis. Dedicatio Veneri, origini divinae ac caelesti fautrici Romanae



maiestatis tunc Romae haud nova erat (cf. *Templum Veneris Genetricis* in *Foro Iulio*), sed hic ea cum alia et inaudita pridem dedicatione, i. e. deae Romae, coniuncta fuit. Nam urbes deificare non Romanus erat mos, sed hellenisticus. Tamen praecipue insolitam esse dispositio dedicationum in spacio appetet:

in axe uno locatae cellae dearum, utrique deae singula sacra, lateribus suis posticis (proprie magis absidibus olim simulacula dearum habentibus) contiguae sunt. Addendum est cellam Veneris ad orientem, scilicet ortum lucis, ac cellam Romae ad occidentem et ea re ad


Capitolium, praesentia et futura Romani imperii significantem, vergere. Constat auctorem diagrammatis tam inusitati Hadrianum ipsum esse. Apollodorus Damascenus, architectus praeclarus, qui temporibus Traiani (regnavit 98 – 117) gubernator omnium aedificationum principalium erat, rogatus, ut Cassius Dio refert, ab Hadriano de aestimatione sui diagrammatis respondit potius huic esse ut brassicas colat, compositionem talem duarum cellarum intelligens.



Locus, quantum hoc delubrum occupabat (circa 1 ha), aequalem apud alia templa Urbis non habuit. Area sacra cincta erat columnarum ex cano granito Aegyptiaco factarum ordinibus, geminatis ad occasum et meridiem spectantibus at reliquis singulis. Areae pavimentum tabulae candidi marmoris Proconnesii vestiebant, introitum autem in eam propylaea sumtuosa ornabant. In media area, supra crepidinem septem gradibus instructam ipsum templum consurgebat, cuius ambae cellae cinctae fuerunt ordine columnarum geminato, quarum denae ante utrasque portas, binae et vicenae secundum longa latera stabant. Columnae altitudine prope vicena, crassitudinae bina metra erant. Aequales dimensionibus ac specie columnae, numero senae, ad introitum in utrumque pronaon consurgebant. Utraque cella intus divisa fuit ad longitudinem suam in tres partes sive naves (quarum media lateralibus latior erat) duobus ordinibus columnarum ex lapide porphyretico (italiane *porfido*). Relative tenues (1, 80 metra crassi), quamquam ex firmissimo tofo cano vulcanico (italiane *peperino*) exstructi parietes cellarum, vestiti erant marmore Proconnesio, qui sua vice copiose caelatum fuit.

Anno 307 iussu domini Maxentii, ultimi de Romanis rectoribus gentilis aetatis, est fanum illud, cuius tectum propter incendium in cellas corruerat, omnino restituta. Interim parietes cellarum, quorum crassitudo post ruinam eventam non sufficiens ponderi tecti et ea re, ut causa ruinae se ostendit, confirmati sunt opere caementicio addito, qua additione laterales naves sublatae sunt. Hodie loco templi Veneris et Romae rudera immania, praecipue in parte absidum geminatorum, videri possunt.

FORUM ROMANUM:





Arcus Titi: Sollemnis introitus arcu magnifico informatus et indicatus, quo pompa triumphales Forum incedebant. Celebrat victoriam Titi imperatoris de Hierosolyma seditiosa in 70 AD. Ambos parietes transitionis, in hoc arcu una singulae, ornant caelaturaee duas, episodia huiuscemodi triumphi

ostendentes, quem memorare illius aedificii munus erat: Ad dextram Titus in quadriga vectus videtur, ad sinistram homines cum coronis laureis super capitibus, res sacra de Templo Hierosolymitano (tubas et heptalampadum) ferentes fictae sunt. Adde omnium figurarum iter ut iter verae pompa triumphalis versus Capitolium hic directum esse necnon caelatam in summo fornice aquilam virtutem Romanam allegorice monstrare.

Basilica Maxentii (Constantini): Postrema est omnium basilicarum Romanarum civilium et eadem prima harum fornicata, nam priores basilicae tabulis tignisque ligneis supra contegebantur. Tali ratione tegendi assimulatum est hoc aedificium thermis Romanis, quarum aulae magnae ex solito fornicatae erant.

Constructio basilicae a Maxentio, domino Romano anno 308 PC initium ceperat et ante huius rectoris interitum anno 313 iam in toto completa fuit, sed a posteriori domino Constantino, primo rectore Christiano in Romano solio, non mediocriter restruitur. Disposita est apud



marginem septentrionalem Viae Sacrae, inter duo tempora, scilicet Veneris Romaeque et Divi Romuli, super parviori colle Velia (se inter Palatinum Esquilinumque erigente), in loco eo quo a Domitiani tempore Horrea Piperatica, scilicet mercatus pro condimentis, sita erant. Ad aedificandam basilicam Velia

fuit partiario explanata. Postea constructa est crepido ingens rectangularis, ex opere caementicio

facta ac longiore latere secundum Viam Sacram extenta, aream 100×65 metra occupans atque scalis latis ad introitum designatae basilicae ducentibus in latere orientali ornata. Ipsa basilica fuit vestibulo profundo (octo metra) instructa et intus in tres naves divisa, navim scilicet medium, 80 metra in longum, 25 in latum et 35 in altum habentem ac utraque naves laterales, 20,5 (?) metra in latum et 24 altum habentes. Navim medium altioreisque tres fornices cruciati contegebant, qui erant octo columnis ex porphyrite (?) solidi sculptis et 14,5 metra in altum attingentibus fulti, lucem autem sufficientem fenestrae superiores parietes in navi media et parietes exteriores in navibus lateralibus perforantes praebebant. Interiora basilicae semicirculata apsis, 20 metra in latum, contra introitum centralem (in occidentali parte navis mediae videlicet) posita magnifice atque speciosissime finiebat. Nam in hoc ipso loco simulacrum colosseum sedentis Maxentii durabat, cuius caput, arma et pedes ex marmore quum aliae partes ex alia materia effectae erant. Tota structura basilicae crassos parietes cum nucleo ex opere caementicio facto et lateribus at extrinsecus marmore quoque cooperto habuit. Etiam fornices erant ex opere caementicio facti et aurato gypso tecti.

Imperio ad Constantimum transito, forma et nomen basilicae immutantur. Ad axem aedificii pridie unum etiam alterum additur, quod constructione apsidis novae in medio latere septentrionali et novi introitus eique respondentis in medio latere meridionali efficitur et pristinam symmetriam formae conturbat. Introitus autem novus propter non latam et leviter projectam, sed conspicuam et sumptuosam porticum scalasque ante in aspectu valde cernitur. Porticus splendorem praecipue quattuor columnae ex pophyrite effeciebant. Apsis autem novo introitui opposita et ad causas agendas destinata, erat infra scalis ac superius aediculis rectangularibus cum signis ornata, quarum media et maxima effigiem Constantini stantis, etsi minorem eo Maxentii in apside occidentali, at reliquae eius adiutorum necessariorumque effigies continebant. Id Maxentii signum colosseum aetate Constantini immutationem significantem evitare non poterat, nam facies in eo ad similitudinem huius domini novi est refecta. Relicta signi conspicua, in quorum numero et caput ingens marmoreum, sunt anno 1487 eadem apside quo signum erat initio positum inventae et hodie Romae, in Palatio Conservatorum (*Palazzo dei Conservatori*, in cavaedio eius) videntur.

Tempus et homines Basilicam graviter destruxerunt. Papa Honorius tegulas huius aedificii aeneas auratas pro ornamento primae basilicae Sancti Petri detraxit. Postquam terrae motus anni 847 PC totos fornices duarum navium, principalis atque meridionalis, diruit. Ex columnis, quae navim principalem ornabant, solum una integra conservatur, sed non in situ, nam papa Paulus V anno 1613 eam in forum ante basilicam Sanctae Mariae Maioris (*Piazza di Santa Maria Maggiore*) transtulit, quo columna et hodie stat.

Templum Divi Romuli: Hoc ad latus Fori septentrionale, inter Basilicam Maxentii et Antonini Faustinaeque templum stans aedificium templum a Maxentio anno 307 PC exstructum et eius filio Romulo ab eo dicatum fuisse hominibus doctis, antiquitatis peritis usque ad recentiorem aetatem fere unanimiter putabatur. Nuper tamen fides eius rei graviter est labefacta. Hodie oppinatur maxime verisimile esse structuram eam fanum Penatibus publicis dicatum antiquitus fuisse. Tamen valet quoque oppinio docti italiani Philippi Coarelli (*Filippo Coarelli*) hanc memoratum in fontibus ut a Romulo, primo rege Romano conditum et videlicet a Maxentio restructum templum Iovis Statoris fuisse.



Architectura templi ut specimen expressum sensus artis posteriori antiquitati peculiaris et baroci nominandi, videri potest, quum aedificium eius ut unum antiquorum templorum Urbis optime conservatorum aestimari debet. Est opere latericio constructum at olim totum marmore revestitum erat. Ex tribus aedibus, omnibus secundum Viam Sacram dispositis et ad eam spectantibus consistit. Quarum media atque maxima, quae formam cylindri habet, amplio tholo (cuius tamen lanterna non est antiqua) coniecta et lato pariete concavo, fronti praeposito binasque aediculas ab utroque latere ad signa ponenda destinatas hodie tamen coopertas habenti,

ornata est, quum aedes utraque lateralis interiora angusta et rectangula etsi cum apside pone addita ac ad latus transitum illam cum aede media coniungentem habet. Quaeque aedes est ianua singulari in templi fronte adornata. Ianua media aliis duabus melius ab antiquitate conservata exstat. Hanc enim pristinum antepagmentum caelatum, ex marmore factum praecinctum et columnae duae utrimque custodiunt, antiquae etiam, ex porphyrite sculptae, supra bases ex lapide Tiburtino stantes, capita marmorea, Corinthia genere habentes et coronam marmoream ex monimento quodam vetustiore ortam atque ornamento plantario sumptuose caelatam ferentes. Etiam valvae aeneae lumen ianuae claudentes ab antiquitate adhuc in suo loco manent, etsi primore decoramine aeneo applicato (stellis, ovis ac rosis) nunc viduae sunt. Duabus denique ianuis lateralibus dua paria columnarum ex marmore Carystio super altis basibus antestabant, quarum par dextrum adhuc in suo situ stat.

Anno 527 PC filia regis Ostrogotharum Theodorici annis 493 – 526 in Italia regnantis Amalasuntha Felici IV, papae Romano (527 – 530) templum praedictum una cum ei contermina Bibliotheca Pacis, parte scilicet meridionali antiqui Templi Pacis (v. infra) donavit. Postquam Bibliotheca in ecclesiam Sanctorum Cosmae et Damiani (*SS. Cosma e Damiano*) convertitur at templum in vestibulum eius. Vestigia antiquitatis nonnulla, quae postea nihilominus in interioribus templi longum tempus intacta restabant, aetate papae Urbani VIII (1623 – 1544), restaurationis causa erant tota sublata. Hodie in aedibus templi aequae et in quondam Bibliotheca Pacis opera artis Christianae diversorum temporum videri possunt.

Atrium Vestae seu Domus Vestarium: Monimenti huius parietinae inter Viam Sacram clivumque Palatini cui continent atque in conspectu Templi Divi Iulii locum habent. Atrium Vestae erat nomen, quo primitus omnis area Templum Vestae, Regiam, Domum Publicam atque Domum Vestarium amplexa et eo ipso umbilicum non solum Romani fori, sed etiam religionis Romanae formans designabatur. Posterius tamen, scilicet exeunti Republica libera sensus eius nominis fit strictior, ad domicilium virginum cultui Vestae servientium contractus. Hoc domicilium, sicut effossiones recentiores Andreae Carandinii (*Andrea Carandini*) ostendunt, hic saeculo octavo AC, in primordiis Romae videlicet, erat in casa situm. Ad idem propositum et eodem loco domus ichnographice rectangula inter Templum Vestae et Regiam, id est transverso Foro aedificata fuit, cuius spatium internum in septem aedes divisa erat, unam magnam, omnem partem septentrionalem occupantem, quum alias sex pone eum dispositas; pavimenta autem aedium erant musivis ornata.

Anno 12 AC Augustus post mortem M. Aemilii Lepidi pontifex maximus factus sedem huius muneris in Palatinum, ubi ipse habitabat, transtulit at Domum Publicam ex hoc tempore vacuam collegio Vestarium dono dedit. Grave tamen permutatum fuit Vestae atrium iam post incendium anni 64 PC, quod vocatur Neronianum. Hodierna saltem rudera descendunt ad tempora Traiani (98 – 117) vel Hadriani (117 – 138), quod notae laterum testantur. Hoc aedificium ex lateribus constructum Palatini clivum in meridie tunc attigit et se admodum versus orientem extendit, suum axem ita axi Fori adaequans. In parte eius occidentali longum cavaedium (plerumque atrium appellatum) erat situm, secundum cuius longitudinem tres piscinae se disposuunt: magna et octagonalis media ac duae parvae rectangulique, quum bitabulatae et columnatae porticus cavaedium circumdabant. In porticibus effigies Magnarum, scilicet collegio praepositarum, Vestarium ex marmore factae supra bases nominibus et laudibus earum inscriptas constabant. Aedificium autem circum porticus dispositum tria tabulata continebat. Ad partem orientalem cavaedii aula camerata pro tablino doctis finita patebat, cuius duobus lateribus aedes trinae adiunctae erant, quum in ipso tablino signum marmoreum Graeco genere effectum Numae Pompilii veteribus conditorem cultus Vestae in Urbe fuisse opinati duravit. Porro ad orientem,

iam extra Atrium sed ad ostium eius, apud Vestae templum et scalas in Palatinum ducentes aedicula compitalis laribus dicata et duabus columnis Ionicis fulta (quarum sola in situ manet) etiam hodie videri potest.

Regnante Septimio Severo (annis 193 – 211) pars orientalis aedificii incendio vitiata refectionem sicut et Templum Vestae iuxta situm passa fuit. Posterius, cultibus gentilibus anno 391 PC interdictis Atrium Vestae fuit sedes officii imperialis factum. Tunc praedictae Vestalium effigies fuerunt una cum earum basibus ex porticibus egestae ac in singulo conclave collatae, desertae et oblitae. Hae iam saeculo XV inveniri coptae sunt. Earum spectabiliores et melius conservatae hodie in Musaeo Thermarum (*Museo delle Terme*) Romae custodiuntur, aliae tamen in Atrio Vestae, inter relicta septentrionalis porticus exponuntur, sed ad arbitrium, id est quaeque non in suo pristino loco nec in sua propria basi dislocata, nam omnes separatae suis basibus et permixtae inventae sunt. Numae autem supradictum simulacrum in tablino nanctum nunc in Antiquario Fori manet.

Relicta Atrii nostris diebus in situ visibilia sunt effosionibus Lancianii (*Lanciani*) anno 1884 et Bonii (Boni) anno 1907 effectis in lucem prolata. Earundem effosionum eventus rationem ad aedificii restaurationem mentalem hodie valentem dedit.

Templum Vestae: Templum Vestae veteres aiunt primitus rege Numa aedificatum fuisse. Tunc parietes habebat ex salignis virgis textos et stramento tectum erat. De quo sic Ovidius in suis «Fastis» (VI, 261 – 262) ait:

Quae nunc aere vides, stipula tum tecta videres,
Et paries tecto vimine textus erat.

Intus, in loco penu nominato erant ignis sacer inexstinguendumque, Palladium et alia rei publicae Romanae sacra, sed Vestae effigies aberat. Aedificatur denuo post incendia: anni 390 AC ex lapide et ligno, anni 241 AC ex lapide, anni 14 AC ex marmore. Post incendium anno 191 AD totum reaedificatur.

Omnibus tamen eis in tempore vicissim subsecutis aedificiis vel duae, locum eorum si



praetereamus, proprietates communes fuisse apparent: ichnographiae rotunditas ac ianua ad orientem versa. Hae ambae etiam illud uxore Septimii Severi, Iulia Domna, anno 191 pro superiori constructum templi aedificium secernunt. Idem est, cuius reliquiae ad nostros dies supersunt et reconstructionem

scientificam, mentalem saltem, patiuntur.

Igitur aedes ea podium habuit rotundum (metra 15 dimetiens) ex opere caementicio factum et marmore vestitum; ad podium autem scamilli columnas peristaseos sustinentes (et caelatis marginibus in frontibus suis decorati) applicabantur. Columnae autem , viginti numero, simul ac trabeatura generis Corinthii ex marmore factae erant. Cellam extra semicolumnae columnis respondentes decorabant at media cella sacer ignis ardebat, cuius fumus trans foramen in vertice tecti cono similis exiebat.

Anno 394 templum Vestae una cum aliis in Romano imperio templis gentilibus iussu domini Theodosii clausum ac saeculis posterioribus etiam destructum fuit. Nihilo minus anno 1930 ex fragminibus eius dispersis templum in latere ad occidentem verso recompositum fuit et nunc omnibus Forum visentibus apertum est.

Regia: Terrenum Regia antiquitus occupatum formam triangulam habet et inter tempula Vestae ac Antonini Faustinaeque iacet. Secundum traditionem Regia fuit a Numa Pompilio, successore Romuli et religionis praecipue studioso constructa. Hic valde venerabilis Fori locus erat sedes (non tamen habitaculum) regum Romanorum primo, deinde autem, id est post regum expulsionem, Pontificis Maximi, qui regibus expulsis fuit pro sacerdote principali, Rege Sacrorum aliter, substitutus. Aedificium Regiae ex tribus conclavibus in versum dispositis constabat. Conclave ad solis occasum vergens erat Marti sacrum et continebat duodecim clipeos singularis generis, ancilia nominata, quorum unum, ut fama traditum est, caelitus aetate Numae cecidit, pro pignore salutis rei publicae Romanae a deo Marte datum, quum alia erant huius imitationes artificiose factae et nullo modo a vero discernendae, ne fur quidam Romanum populum dono eo divino privare potuisset. Ibidem et sacrae «hastae Martiae» custodiebantur vibrare creditae, si quidpiam terribile in re publica fieri debet, quod evenisset anno 44 AC ante

Caesarem occisum. Conclave autem orientale erat deae sationum Opi Consivae dicatum et adeo sacram esse putabatur, ut solis virginibus Vestalibus et Pontifici Maximo intrabile erat.

Utrumque conclave hoc extremum per conclave medium communicabatur, quod solum portam in cavaedium ad septentrionem et occidentem spectantem habuit, quum porticus lignea septentrionalem partem antestabat.

Regia tamen talem formam gradatim, non simul adepta fuit. Immo vero tum non etiam exstitit, quando fama eam exstisset vult. Saeculo enim octavo AC, tempore videlicet (aliis exceptis) Numae, undecim casae et aliquot sepulcra infantium locus eius futurum occupabant. Anno circiter 625 AC, ergo regente Anco Marcio, casis eis ara saepta substituta fuerat, prima tamen Regia solum paulo post exstitit. Quae erat supra tofina fundamenta posita, ex lateribus non coctis exstructa atque tegula tecta. Habuit ante se porticum in saeptum cavaedium apertam.

Hoc aedificio combusto longus reconstructionum ordo incepit. Quae sunt:

1. Anno 580 AC erecta domus decoraminibus fictilibus multicoloris ornata, scilicet antefixis Gorgonis larvam monstrantibus necnon fasciis libratis, quae variis figuris, praecipue equitis armati se frequentantis imaginatae erant.

2. Deinde, quadrante tertio sexti saeculi AC domus paulum de priore loco translata atque decoraminibus fictilibus, aequa ac structura primoris erat, sed in sensu artis Ionicae effectis exornata.

3. Item, exeunte saeculo sexto id est ineunte Re publica libera domus ad sedem Regis Sacrorum aptata cum ordine trium conclave et porticu anteposita.

4. Item restauratio anni 148 AC incendium subsecuta.

5. Item notabilissima restauratio, quae anno 36 AC sumptibus Cn. Domitii Calvini, domitoris Hispaniae acta fuit, Regiam in marmoream covertendo et signis multis adornando (Cass. Dio XLVIII, 42), quae inter, teste Plinio Maiore (XXXIV, 48), etiam duae statuae (fortasse aereae) ex numero illarum tabernaculum Alexandri Magni olim fultarum durabant, quum aliae duae in templum Martis Ultoris (v. infra Forum Augusti) dicatae fuerunt.

6. Postremo, saeculis septimo et octavo Regia erat in domum privatam transformata et secundum Sacram viam gradibus ex marmore atque Tiburtino lapide rustice sculptis necnon porticu cum columnis Carystiis ex quodam aedificio antiquo sumptis adornata.

Domus Publica: Erat inter Vestae atrium et Via Sacra, prope Regiam sita ac pro domicilio Pontificis Maximi usque ad annum 12 AC, ubi erat ab Augusto munus illud suscipiente Vestalibus tradita.

Reliquiae de Domo hodie extantes exiguae sunt. Ideo nobis non permittunt de forma eius notionem satis probabilem efficere. Nam trium dumtaxat conclave vestigia effossionibus adhuc peractis sunt apertae. Quae inter sunt: 1) ad aetatem Rei publicae liberae referendum

conclave, cuius pavimentum scutulae (rhombi) in quadra maeandro circumscripta insertae decorant; 2) conclave cum apside, balneolum fortasse, tempore vel Caesaris regnantis instructum at hodie relicta pavimenti musivo decorati ostendens et porticu eiusdem fere temporis, de qua crepido et fragmen semicolumnae ex lapide Tiburtino factae exstant, contactum; 3) pavimentum marmoratum et parietinae topiis sensum artis Pompeianum tertium ostendentibus depictae, quae de conclave temporis Augusti restant.

Aedes Divi Iulii (Caesaris): Hoc Iulio Caesari, omnium Romanorum primo deificato sacrum fanum erat inter Basilicam Aemiliam Castorumque templum positum et ad Tabularium anteriore, quum ad vicinam eo Regiam posteriore parte versum; sua positione limitem occidentalem Fori dictu proprie notavit. Aedificationem eius triumviri anno 42 AC constituerunt, brevi post Brutum Cassiumque ad Philippos devictos et Caesarem publice dis adnumeratum, eo loco, quo 44 AC Caesaris occisi corpus combustum fuit. Eodem autem loco iam tum ara necnon columna ex marmore Numidico viginti pedes alta inscriptionem «Parenti Patriae» ferens stabant plebe Romano in honorem Caesaris positae (Su Caes. 85) et iussu Dolabellae consulis mox ablatae. Aedes haec etsi in cursu aedificationis etiam, fuit annis scilicet 37 – 34 AC, reversibus nummorum nonnullorum velut iam completa efficta. Eius tamen vera confectio ac dedicatio anno 29 AC, Octaviano regnante, tertio die post triumphum Actiacum evenit.

Aedes Iulii supra basim duplicatam stabat. Cuius pars inferior erat rectangula, tria et semis metra in altum, sex et viginti in latum ac triginta in longum. Crepido haec suo dorso aedis podium 2, 36 metra altum et septendecim latum ferebat, quum ante poneque in septena metra se proiicebat in partem suam anteriorem vastam exhedram semicirculam, 8, 3 metra latam includens. Ara ichnographice rotunda Caesari dicata et arae illi Dolabella destructae substituta medium exhedram occupabat. Exhedra tamen posterius, fortasse iam tempore Augusti pariete ex lapidibus tofinis operta fuit.

Baseos (sicut et arae) nucleus erat caementicius opere quadrato ex tofo coopertus cum interpositis partibus ex lapide Tiburtino ad supra stantes columnas fulciendas destinatis, quum superne haec lapidum constructio marmore crustata fuit. Baseos frons rostris navium exornatae erant sicut et frons suggestus in Comitio nomen Rostrorum habentis (v. infra), sed rostra hic disposita erant spolia in proelio ad Actium arrepta. Similitudo tamen est evidens nec fortuita; utraque enim structura ad orationes publicas destinata et haec ad exemplum illius formata fuit, ex quo et nomen **Rostra ad Divi Iulii** oritur. Ceterum placet hodie doctis nonnullis Rostra non Aedis partem, sed seorsum aedificium fuisse.

Gradus laterales super suggestum oratorium et altius, ad pronaum templi ducebant. Teste Vitruvio (III, 3, 2) aedificium Aedis erat secundum columnarum dispositionem pycnostylon. Secundum autem quantitatem columnarum in fronte aedes hexastylos nominari potest, sed

gemina, senas enim columnas in duobus ordinibus anterioribus habuit. Crassitudo columnarum 1, 18 metra erat, quum altitudo novem dimetientes embatis. Columnae laterales et posticae aberant, quarum in loco parastades parietes cellae decorabant. Cella autem totam podii latitudinem, id est 17 metra, occupabat.

Aedes etiam nuper ducebatur Ionicam genere fuisse, tamen effosionum recentiorum eventa ostendunt eam omnino (extrinsecus intusque) in genere Corinthio et ad hoc ex marmore Lunensi effectam. Diversa fragmina fasciae trabeaturam ornantis sunt in situ reperta, quae caelatae imagines muliebres cauliculos pedum loco habentes et cum sertis caelatis alternantes ostendunt. Statua colossea Iulii Caesaris cum stella crinita (Sidere Iulio nuncupata et opinata portentum divinitatem Caesaris ostendentem esse) supra capitem in cella contra ostium durabat. Ibidem *Apellis* tabula illustrissima Venus Anadyomene Augusto ipso in Aede dedicata – PM XXXV, 91) exposita fuerat nec longe in cella manebat, idcirco quod ei umore corruptae iam Neronis iussu imitatio cuiusdam *Dorothei* substituta exstitit. Ante Aedem erat **Statua (Loricata) Divi Iulii** (PI Ep. VIII, 6, 13) posita, quae Caesarem equo insidentem monstrabat et cuius ad basim tabulae publice edicendae affigebantur.

Nummi Hadriani restaurationem etsi levem tempore huius principis peractam aequa ac aspectum Aedis antiquum testantur. Aedes tamen ipsa fere omnino destructa nostro tempore exstat; lapidum enim direptionem maxime duram saeculis praeteritis passa est. Relicta Aedis fuerunt aperta effosionibus annorum 1872, 1898 – 1899 atque 1950. Visitatores Fori hodie nucleum cementicum baseos ac in exhedra adhuc tofino pariete operta nucleus arae Iulio Caesari consacratae videre possunt. Etiam hodie multi in Forum venientium sunt, qui apud hanc vetustam aram flores recentes afferunt et ponunt.

Arcus Augusti: Concepit transitum inter Aedem Iulii et Castorum aedem. Fuit aedificatus anno potissime nono et vigesimo AC atque Octaviano dedicatus in honorem huius victoriae navalis apud Actium, sed placet nonnullis hunc arcum anno 19 AC constructum ac restituta superiore anno signa militaria olim Parthis in proelio ad Carrhas a Romanorum exercitu arrepta celebravisse. Quidquid est, Arcus Augusti fuit primum in Romana architectura exemplum arcus cum terno transitu, postridie in arcubus Septimii Severi et Constantini prospere imitatum. Praeterea transitus medius erat in illo sicut in his cameratus et lateralibus altior. Una tamen gravis proprietas Arcum Augusti a posterioribus differt: uterque lateralis transitus in eo libratis trabibus, non fornice tegebatur atque trigono fastigio erat insuper coronatus.

Media pars Arcus erat lateralibus procerior. Supra eam quadriga plastica cum imperatore in curru institit at barbarorum captivorum signa supra latera erant posita. De quo nummi contemporanei iudicandi potestatem investigatoribus dant, quum fundamenta et inferiores partes pilarum, quae in situ supersunt, Arcus ichnograpiam testantur. Ex eis patet latitudinem totae

structurae 17, 75 metra, medii transitus 4, 05 ac lateralium 2, 55 fuisse. Mediarum autem pilarum longitudo erat maior longitudine lateralium. Caelatae Victoriae super fornicis margine ex solito locatae transitum principalem decorabant. Cuius caelatura fragmen hodie in Nova Glyptotheca Carlsbergiana (*Ny Carlsberg Glyptoteket*) Hafniae (*København*) custoditur.

Arcus erat ex Tiburtino lapide constructus et fundamenta caementicia habuit.

Anno 1546 ampla inscriptio in tabula ex marmore Pario (nunc in Antiquario Forensi) anni 29 AC dedicationem Augusto continens fuit i situ Arcus reperta. Quae documentum valens ad Arcus reliquias identificandas investigatoribus ministravit.

Templum Castoris et Pollucis (seu publice **Aedes Castorum vel Castoris**): Sua fronte Sacrae viae continens, situm est templum in meridionali parte Fori, inter Basilicam Iuliam a dextra, Templum Vestae a sinistra et Templum Divi Iulii ac longius Basilicam Aemiliam ex

adverso.

Sicut ait fama antiqua, duo iuvenes postea reperti divos fratres Dioscuros esse,
Romanis in proelio prope lacum Regillum anno 499 aut 496 AC ad ultimam victoriam de expulsis Roma pridem Tarquinii et eorum sociis Latinis sua praesentia adiuverant, inde nulla mora



interposita in Foro Romano equitantes apparuerunt, ut nuntiavissent novam Romanam victoriam et suos equos ibidem ad fontem Iuturnae aquatum duxissent. Ambobus deis grates agens, A. Postumius Albinus, qui tum dictator erat, vovit eis templum. Eodem tempore exstiterunt eidem fautores ordinis equestris haberí.

Votum a Postumio templum erat apud eundem fontem Iuturnae exstructum et die 27 Ianuarii anni 484 AC a Postumi filio, tunc duumviro, dedicatum. Ex quo tempore hic anni dies pro die dedicationis templi sollemniter celebrabatur. Vero proximum est insuper pompa ("transvectionem") equitum quoque die anniversario suprafatae Victoriae (quae die 15 Iunii parta erat et inde ab anno 304 AC celebrabatur) ab eo ipso templo profectam fuisse. Non solum ad religionem, tamen etiam ad vitam publicam Romanam aedes ea magni momenti erat. Ibi enim temporibus civitatis liberae, ab anno 160 AC Senatus saepenumero habebatur at populus oratores politicos inter ipsos certantes ante templum audiebat. Ex quanto pondere templi intellegitur cura eximia de huius splendore et pulchritudine.

In sua vita historica satis diurna passum est templum tales aetates:

1. In statu suo primitivo (ab anno 484 AC) erat hoc templum more Italico dispositum, id est cum podio infra atque tribus contiguis cellis communique pronao longiori supra.

2. Primo dimidio saeculi II AC pronao breviori facto fuit altitudo podii in priore parte sic diminuta, ut esset suggestus ad orationes publicas habendas commodus. Extra cellas erat summus suggestus tabulis ex tofo (peperino), item ut pavimentum cellarum musivo, coopertus.

3. Restitutio templi subsequens ab L. Caecilio Metello Dalmatico post eiusdem victoriam de Dalmatis locum habuit anno 117 AC et dimensiones templi modice amplificavit. Post restitutionem eam exstitit templum, ut videri potest, octastylon, id est ante cellam, inde unicam, octo columnas habens, et peripteron sine postico, i. e. columnas etiam ad latera, sed non in postica parte habens; pro decoramine pavimenti in cella musivum serviebat, cuius margo multicolor maeandrum in prospectiva imitabatur.


4. Refectionem templi C. Verres quoque anno 74 AC egit, quae autem reprehensionem asperam a Cicerone (in Verr. I, 154) evocavit. Saeculo primo AC in musivi locum substitutum fuit opus sectile marmoreum cubos in prospectiva imitatum.

5. Hoc templum anni 14 AC incendio destructum restituerat ac anno 6 AC (Augusto regente), suo et sui fratri Drusi nomine, dedicavit Tiberius, princeps futurus. Altitudo et area podii ultimum amplificatae, cella autem et peristasis totae novae constructae fuerunt. A quo templi aedificio reliquiae hodiernae ortae sunt; refectiones enim in sequentes, temporum Traiani, Adriani et aliorum parum insignes esse videtur. Tunc vero, i. e. Augustanis temporibus, templum hoc talem formam recepit. Podium eius aream $32 \times 49,5$ m occupavit ac altitudine 7 m explevit. Ascensio a Sacra via sursum ad cellam per duobus ordinibus graduum lateralibus incipiebat, quae ad sumnum suggestum, 3,66 m altum, oratoribus destinatum et in fronte pluteo saeptum ducebant. Infra, in priori muro podii (sicut erat etiam in Metelliano templo) aeratae januae in conclavia aperiebantur, quorum unum mensurae et pondera publica auctoritate institutae in se continebat. At supra suggestum ordo graduum latus in fronte positus ad sumnum podium conducebat. Nucleus podii erat ex opere caementicio factus et contextus tofina structura cum interpositionibus ex lapide Tiburtino sub columnis, ut hae firmum fulcimen habeant. Totum podium marmore albo crustatum erat.

Secundum formam suae superstructionis ex Lunensi marmore factae templum Tiberianum sicut Metellianum (v. s.) erat octastylon et peripteron sine postico; eius peristaseos alae laterales undenas columnas habebant; genus aedificii erat Corinthium cum columnis striatis. Columnae cellam quoque ornabant, minores tamen et cum scapis ex marmore fulvo. Pavimentum cellae musivo ex tesseris albis atque negris initio decorabatur, postea tabulis ex marmore colorato.

Exeunte saeculo secundo suggestus oratorius, qui amplius non usitatus erat, fuit demolitus et substitutus continuatione graduum a lapidibus viae usque ad cellam ascendentium. Post quartum saeculum omnes memoriae ad templum pertinentes absunt, sed videtur eum ipso initio temporis eiusdem destructum fuisse. Quinto decimo saeculo reliquiae templi eadem fere ac hodie erant, quod eius aetatis nomen viae templo contiguae, “via Trium columnarum”, ostendit. Nam etiam diebus nostris de templo restant solum tres vicinas columnas ordinis antici, Basilicae Iuliae propiores et incolis Romanis consuetudine *Tre sorelle* (i. e. Tres sorores) vocatas, cum parte trabeaturae super earum capitibus Corinthiis, atque reliqua podii sine crustis eius exterioribus. Initio noni decimi saeculi Templum Castorum erat falso Graecostasis aut Templum Iovis Statoris vocatum.

Templum Antonini et Faustinae: Faustina Maiore, uxore dilecta Antonini Pii principis anno 141 mortua Senatus consultum cepit eam dis annumerari ac templum eius cultui ponи (SHA, Ant. Pius 6, 7). Eodem anno templum exspectatum medio Foro Romano aedificari cepit et paulo post exstructum fuit. Anno autem 161 Antonino Pio mortuo fanum id, Faustinae solae primo dedicatum, accepit insuper dedicationem alterum (Ibid. 13, 4) et ex eo plenum nomen Templi Divi Antonini et Divae Faustinae invenit (CIL VI 1005).



Templum hoc situm est ad Sacram viam, in eius latere, si versus Capitolium venias, dextro, contra Regiam et inter Templum Romuli Basilicamque Aemiliam. Stat super alto (duodecim metra antiquitus) podio, tofo firme (*peperino*) vestito et latis gradibus (nunc restauratis) in fronte ad Sacram viam spectanti instructo. In mediis gradibus exsurgebat ara rotunda, cuius reliqua adhuc in situ videntur, et cuius ornamentum caelatura archaistici generis erat (unum fragmen cum fragmentis deorum superest).

Secundum locationem exteriorum columnarum templum Antonini et Faustinae prostylon, at secundum eorum in ordine antico

numerum hexastylon est. Sex columnis antici ordinis binae columnae cum singulis parastadibus fines antarum ornantibus in latera porticus additae sunt. Porticus templi est in genere Corinthio effecta. Columnarum altitudo septendecim metra explet, dimetiens 1, 45 metris aequat. Eorum scapi monolithici ex marmore Carystio (sive *cipollino*) sculpti ac non striati, capita autem et

bases ex albo marmore sunt. Cellae parietes ex eodem tofo et podii vestis, i. e. ex *peperino* exstructi sunt, tabulis vero ex lapide Tiburtino crustati erant. Parietum superficies exterior in parte sua superiori et maiori instar operis quadrati caelata fuit, subter autem plana restabat. Superior trabs trabeaturae porticui et cellae incubentis ex marmore albo facta et reiterantibus se paribus gryphum ad singula candelabra utrimque versis atque foliis acanthi prospere decorata est. Quamquam posterior tituli dedicatorii versus – DIVAE FAUSTINAE EX S C – inferiorem trabem frontis ornat, tamen is primum insculptus fuit. Prior autem pars tituli – DIVO ANTONINO ET – locata superius, quo caelata pridem figmenta gryphum ad hoc excisa fuerunt, posterius, scilicet post mortem Antonini Pii et huic quoque templi dedicationem, addita est.

Nummi eiusdem temporis frontem aedificii ostendunt fastigio (nunc absenti) cum plasticis figuris supra angulos et in tympano superatum fuisse. Sicut ex isdem nummis videtur, signa etiam intercolumniis portici stabant. Supersunt eorum fragmina atque, opinione multorum, imitamina in scapo columnae mediae a sinistra scalpta rustice: Hercules cum leone Nemaeo, Venus, Victoria, lar. Inventae sunt partes quoque statuarum colossearum fractarum, certe coniugum deificatorum effigies cultui destinatae.

In septimo aut octavo saeculo templum in ecclesiam Christianam Sancto Laurentio dedicatam (San Lorenzo in Miranda) conversum est, sed eo facto non omnino a destructione fit liberatum. Tempore papae Urbani Quinti (1362 – 1370) pars cellae demolita fuit materiae aedificatoriae quaerendae causa. Formam suam hodiernam cum fastigio generis barocci aedificium debet reconstructioni papae Paulo Quinto anno 1602. Effossiones archaeologicae ad templum et ei adiacentem aream spectantes anno 1546 initiatae erant et gerebantur etiam 1810, 1876, 1885, 1899 atque annis subsequentibus.

Basilica Aemilia (Aemilii-Pauli): Basilica Aemilia vel verius dici eius extantia relicta sunt ad marginem Fori septentrionalem, inter Antonini et Faustinae templum atque Curiam visibilia. Exstructa erat basilica haec in loco duorum ordinum pristinarum tabernarum, quae sub nomine Tabernarum Novarum notae sunt, ac veteris basilicae, quae ad Forum Piscatorium et Macellum (in loco futuri Fori Nervae), videlicet ab Foro Romano, vergebant. Eius primum aedificium pro Basilica Aemilia notum anno 179 AC a censore M. Fulvio Nobiliore exstructa atque post huius mortem a collega Fulvii, M. Aemilio Lepido completa erat. Habuit in fronte sua bitabulatam porticum, cuius tabulatum superius anno 78 AC a consule M. Aemilio Lepido (homonymo praedicti) clipeis ornatum erat, quod moneta anni 61 AC commemorat, basilicae frontem cum ordine clipeorum ad pluteum affixorum ostendens.

Novum aedificium erat priori substitutum inter annos 55 et 34 AC a L. Aemilio Paulo Lepido ac post eum ab eius filio. Igitur gens Aemilia suam praecipuam partem in basilicae creatione testata est, quod et in huius cognomento exprimitur. In hoc aedificio novo navis altera

erat in locum porticus posterioris supposita. Columnae in navi principali (cuius area $80,50 \times 12$ metra fuit, quum exactus modus totius basilicae adhuc ignotus est), Corinthiae genere exque marmore Africano factae, fasciam caelatam ferebant, quam argumenta ex Romae primordiis ornabant. Pars fasciae, ex tempore Sullae ut videtur orta, hodie in Fori Antiquario servatur, quum in pristino fasciae loco huius fragminis imago expressa gypsea supposita est.

Anno 14 AC, post incendium erat basilica iussu Augusti funditus restaurata. Tabernae et porticus ad Forum spectantes totae erant tunc restructae. Porticus nova in honorem Gai et Lucii, Augusti nepotum, nominata duo tabulata habuit, ambo seni deni arcubus ornata, quos pilae cum his praepositis semicolumnis Doricis fulciebant. Ad hoc erat summo aedificio caenaculum positum caelatis fragmentis plantarium atque Barbarorum simulacris decoratum. Spatium autem basilicae interior erat in quattuor naves divisa, quarum principalis et altissima, porticibus bitubulatis cincta, usque ad tectum caenaculi aperta visitatoribus apparebat. Aspectus Basilicae Aemiliae tam animos afficiebat, ut Plinius Maior (XXXVI, 102) hanc unum trium spectabilissimorum aedificiorum totius mundi esse existimavit. Post destructionem Urbis anno 410 PC a Visigothis Alarico duce illatam porticus Basilicae tali modo restauratur ut crebriores columnae in locum pilarum cum arcubus latioribus consistunt.

Quamquam Basilica Aemilia Medii Aevi atque Renascentiae temporibus pro latomiis opimis abusa est, verumtamen eius conspicua relictia usque ad saeculum sedecimum in situ restabant. Interea spoliatio monimenti continuabatur, ideo Basilicae loco nonnisi fundamenta eius et perpaueae columnae ex restauratione anni 410 diebus nostris videri possunt.

Basilica Iulia: Sita est in meridionali Fori dimidio, inter tempora Castorum atque Saturni et contra Basilicam Aemiliam Curiamque Iuliam. Eius loco antea Basilica Sempronia stabat, spatio minor, tamen satis capax et extenta, quem Ti. Sempronius Gracchus, pater futurorum tribunorum illustrium, C. et Ti. Gracchorum, pro censore illius temporis anno 170 AC construi iusserat. Auctores veteres Gracchum, ad aedificandam basilicam ut locus aptus esset, demolitionem sitarum ibi aedium Scipionis Africani imperavisse indignati eo tradunt. Eorum testimonium confirmatum est recentiori invento archaeologorum, qui impluvium sub sedibus Basilicae Iuliae aperuerunt. Hanc autem basilicam in loco Semproniae Caesar (ex quo nomen eius ortus est) anno 54 AC construere initaverat ac anno 46 AC etsi inchoatam dedicavit. Eam Caesare anno 44 AC interfecto Augustus anno 28 AC confecit, at iam paulo post, anno 14 AC incendium consumpsit. Reconstructam anno 12 AC basilicam Augustus iterum, hoc tempore manibus nepotum suorum, Gaii et Lucii Caesarum, dedicavit.

Area, quem Basilica Iulia occupabat, m 101×49 aequat, ita aream Basilicae Aemiliae superans, tamen illi posterioris Basilicae Maxentii cedens. Longo latere suo portis instructo Sacrae viae adiacens, supra crepidinem gradatam stabat. Aedificium basilicae ex quinque

navibus constabat, quorum media et principalis altior aliis erat et sui altitudinis beneficio fenestras in parte superiori habebat, oecum eius navis bene illustrantes. Inferius ambae porticus trans duorum tabulatorum ordines arcum quadratis ichnographice pilis fultorum in navem aperiebantur. Area navis mediae 82×18 m erat, pavimentum tabulae marmoris albi contegebant. In eo navi iudices ad causas civiles, verbi gratia tribunal centumvirorum, sedebant. Magnum spatium eius navis in partes aut velis, aut ligneis parietibus saepe dividi poterat, ut uno tempore multae causae inspicerentur. Naves laterales m 5,5 lati erant, quum pavimenta coloratis marmoribus vestita. Frontes basilicae etiam duorum tabularum porticibus albo marmore vestitis circumdatae erant, quae in quoque tabulato longiorum laterum 17 arcus, at laterum breviorum 7 arcus habebant. Genus porticum Doricum erat. Pilae arcuum semicolonnis ad trabeaturam consurgentibus decoratae erant.

Ante frontem basilicae ad Sacram viam vergentem septenus ordo procerarum columnarum stabat signa ferentium et supra bases cubicas caelatas positarum, quae hodie sub nomine Basium honoriarum notae sunt. Alicubi hoc loco duae quoque tabulae marmoreae caelatae sub anaglyphorum seu pluteorum Traiani nomine notae et hodie in Curia Iulia (v.) conservatae antiquitus manebant. Ambae negotia publica Traiano principe in Foro transacta plane monstrant atque aequum sensum formae et aequam altitudinem, scilicet m 1,68, habent, ex quibus efficitur has tabulas ad unum quoddam monimentum pertinuisse, e. g. ad suggestum oratorium, sicut multis videtur. In tabulis eis complures figurae expressae ac omnes eminentes ex area postica sunt, tamen tali modo dispositae, ut non se premant, quod momentum artis Graecae classicae, temporum Traiani proprium, manifestum facit. Altera tabula, “Alimenta” nomine, m 5,26 longa, in antica sua parte concessionem a Traiano pecuniarum creditarum leviore fenore ad personas egentes, quae liberos alunt, ostendit; in parte tabulae postica videntur animalia, quae suovetaurilium hostia sunt, id est sus, ovis et bos. Altera autem tabula, m 4,34 longa et “Exustio” nominata, remissionem tributorum, quae cives pro debitis habent, per exustionem tabularum debita indicantium ipso Traiano praesente monstrat.

Amplum incendium anni 283 etiam basilicae Iuliae magnum detrimentum intulit. Eam Diocletianus (regnavit annis 284 – 305) cito et sine mutationibus in eius specie gravibus reparavit. Sed anno 410, diripientibus Urbem Visigothis destructionem passa est. Eius monimenti reliqua nostris diebus parva supersunt: crepido gradata, parietes arcubus transfossae apud Saturni templum atque fragmina dispersa, quae ad recompositionem stantis hic hodie pilae semicolonae Doricae arcusque fragmine ornatae et ad introitum principalem pertinentis materiam praebuerunt.

Lacus Curtius

Curia Iulia: Hoc aedificium Senatui destinatum positum est in Comitio, ad sinistram Basilicae Iuliae partem. Operi huic altera curia, Hostilia nomine, tertio rege Romano Tullo Hostilio (regnavit annis 672 – 640 AC) constructa, in tempore praecessit ac locum propinquum, ad laevam futurae Iuliae tenebat. Ante Curiam Hostiliam statua ex aere facta, quam Tarquinius Priscus dedicaverat Attum Navium, augurem illustrissimum, statura hominis minorem et velato capite (i.e. more Romano adorantem) imitatum ostendens (PM XXXIV, 21; Dion. Hal. III, 71; Liv. I, 36) usque ad annum 52 AC stabat, quum curia haec, post reparationem L. Cornelii Sullae anno 80 C iam Cornelia nominata, in tumultu dissensionum civilium igne consumpta (cf. PM, ibid.) est. Post autem hoc incendium filio Sullae Fausto reparata festinanter fuit. Anno 44 AC, paulo ante caedem eius Caesar aedificationem curiae in loco vicino coepit, quam Augustus anno 29 AC confecit ac in morem templi dedicavit, ex quo tempore Curia Iulia nominabatur. Etiam Augusto ad laevam curiae tabularium in specie porticus adstructum fuit, tunc Chalcidicum at aetate Domitiani Atrium Minervae insuper nuncupatum. Curiam autem reparatio Domitiani principis anno 94 aliqua ex parte perfecit.



Incendio anni 283 omnino destructa Curia Iulia ab Diocletiano restituta fuit et eo facto illam conditionem suam attigit, quae nobis hodie secundum reliquias optime nota est. Est hoc opus cum fronte in altum porrecta, m 21 altum, m 18 latum ac m 27 longum (fere sicut Vitruvius – V, 2, 1 – ad curias praescriperat), constructum ex lateribus; infra marmore vestitum, supra tectorio coopertum erat. Scalae ad ianuam in medio fronte factam ascendeant, quae valvis aeneis iam aetate Diocletiani factis operiebatur. Interiora curiae ex una aula alta et spatiosa consistent, in quam externa lux tribus tantum fenestrarum super ianua factis penetrat.

Aula haec divisa est in tres partes: utrumque ab introitu duos locos editos cum latis et humilibus gradibus pro trecentis sedibus senatoriis (nam senatores per sessionem suffragati erant: in altera parte qui pro, in altera qui contra considebant) et transitum eos separantem ac ad podium praesidis directum. Iuxta podium signum Victoriae Augusto donatum supra basin stabat. Aedis parietes aediculae statuis ornatae et inter geminas columnas parva fastigia ferentes locatae ornabant. Pavimentum curiae marmoribus coloratis opere sectili coniunctis tectum erat. Quorum autem coniunctio eundem simplificatum imaginem floralem saepenumero exhibebant.

Etiam duae tabulae pictae, Augusti donum, Curiam Iuliam decorabant (PM 35, 27). Altera, quem *Nicias* cera pinxerat: hae deam Nemeam super leone sedentem et ad hoc ludos Nemeaeos significantem necnon senem quandam apud deam stantem et baculo fultum ostendebat; supra senem una tabula erat depicta sua vice bigam, forsitan senis proprium, ostendens et victoriam in hac certaminum specie notans. Altera, *Philocharete* pictore, qui saeculo quarto AC, ut putant, vixerat et fortasse frater Aeschini, unius oratorum Atticorum illustrissimorum, fuerat. In hac tabula aquila ostendebatur aere pendens et anguem tenens; humi autem pater senex videtur iuxta filium iuvenem constans. Plinius (*Ibid.* 28) artem in ea laudat, qua similitudo duorum proximorum genere, sed aetatibus tam diversorum hominum expressa est. Tamen etiam una res in tabula notari potest: locus Victoriae, quam hic aquila aequa et in Niciae tabula biga victrix atque in signo apud sedem praesidis ipsa Victoria tradebat. Nec prorsus aliena videntur haec triumphi symbola in prisco domicilio potestatis Romanae, apud viam pomparum triumphalium insuper stanti.

Saeculo septimo in ecclesiam Sancti Hadriani (*S. Adriano*) conversum exstat hodie hoc monumentum Romani imperii atque artis in aetate conservationis relative bono, simul et alia, quae medio aevo ad cultum Christianum traditae fuerunt. Tricesimis annis saeculi vicesimi, cultui in ecclesia desito, Curia Iulia, ut copia erat, restaurata fuit. Quamquam marmor, quod olim opus hoc crustabat, iam pridem direptum fuit, statuae et nimirum picturae quoque aberant, loco autem Chalcidici ecclesia Sanctorum Lucae et Martinae orta est, tamen laterarii parietes exteriore, columnae aedicularum, loci editi pro sedibus senatorum, in quibus locis antiquo tempore lapso chorus ecclesiasticus constare solebat, et tribunal praesidis aequa ac basis discessae Victoriae supererant et adhuc restant, pavimentum autem non ita pridem in parte restitutum et visentibus accessibile est. Valvae, quae a tempore Diocletiani ianuam in fronte operiebantur, hodie portam principalem Basilicae Sancti Iohannis in Laterano (*San Giovanni in Laterano*) decorant, architecto F.Borrominio (*Borromini*) brevi post annum 1654 translatae. A saeculo septimo interioribus curiae pictura parietaria byzantina hodie restat. Nostris diebus conservantur in Curia Iulia etiam anaglyphi seu plutei Traiani, quamquam ex alia parte Fori orti (v.s. Basilica Traiani).

Miliarium Aureum

Lapis Niger,

Ianus Geminus: Sacellum Iani in parte occidentali Romani fori, aliquo loco inter Curiam Iuliam et Basilicam Aemiliam, videlicet in confinio Comitii et Fori sensu stricto positum, quem praesentem fuisse tantum scripta antiquorum auctorum, non vestigia materialia testantur.

Testimonia tamen ad huius fani tempus et causam originis, etsi numerosi, differunt. Ut Servius (Aen. I, 291) ait: „Alii dicunt Tacium et Romulum facto foedere hoc templum aedificasse unde et Ianus duas facies habet, quasi ut ostendat duorum regum coitionem“, Livius (I, 19) autem atque Plinius Maior (XXXIV, 33) necnon Varro (L.L. V, 165) referunt hoc templum pro „indice pacis bellique“ erectum fuisse: fas enim erat ut eius fores omni belli tempore patefactae fuissent („geminæ belli portæ“ – V Aen. VI, 77). Quoad locum huius sacelli, sunt scriptores antiqui per contrarium unanimi, indicantes eum inter Curiam et partem occidentalem Basilicae Aemilii, ubi Argiletum in Forum transibat. Auctore Macrobio (I, 9, 17sq) porta hic primitus erat in saepto Romanos de Sabinis separante.

Descriptio Procopii (BG I, 25) et Neronis nummi speciem Iani Gemini summatim traducunt. Hoc magnitudine parvum sacellum erat bino pariete parallelo aeneis laminis crustato atque nullo tecto superne coniuncto formatum. Uterque autem introitus in strictum inter parietibus spaciū patens arcu et aeneis valvis ornabatur. Super parietes cancelli stabant, quae sicut et arcuum vertices trabeaturam sustinebant sacellum coronantem. Denique intus, inter parietes erat simulacrum Iani sub Iove positum, aeneum et procerum, non minus scilicet cubitis quinque (2,5 metra) in altum, omnino homini simile praeter binum caput altero facie ad orientem ac altero ad occidentem vergente. Si Ovidio (Fast. I, 99) credendum est, Ianus hic positus „baculum dextra clavemque sinistra“ tenebat.

[Cf. supra: Templum Veneris et Romae; et infra: Aedes Honoris et Virtutis (ad Portam Capenam)].

Rostra: Hoc nomine structura quaedam Romani fori, in rebus publicis praesertim pensa, significatur, ad orationes publicas facta et adaptata. Erat scilicet suggestus a postica parte scalis ad ascensionem oratorum instructus. Rostrorum locus primordialis fuit Comitium, quo haec ad Curiam Hostiliam (v. Curia Iulia) spectabant. Antiquissima sunt, nam constat iam anno 450 AC tabulas cum primis legibus Romanis, Leges Duodecim Tabularum nominatis, affixas ad ea fuisse. Extantes in fontibus mentiones de antiquissimis artis operibus, quae cum Rostris coniuncta sunt, ad quattuor simulacra legatorum Romanorum respiciunt, iuxta aedificium eum paulo post annum 438 AC posita, quando legati illi a Fidenatis perfide occisi fuerunt (L IV, 17; PM XXXIV, 23). Alius legatus a Romanis ad hostes missus et ab eis necatus, scilicet Cn. Octavius in Syria anno 162 AC vita privatus, etiam fuit honoratus aenea statua ad Rostra posita (Ibid., 24).

Appellationem suam Rostra ex eo ducunt, quod anno 338 AC frontem suggestus eius ferrea rostra, id est prorarum acumina, sex numero, ex praeda Romanorum propter victoriam navalem eodem anno apud Antium partam arrepta, ornaverunt, ordinem libratum formantes. Eodem fere tempore apud Rostra duo signa equestria honoraria, ex aere facta atque duos alias Belli

Latinorum Romanos duces victoresque C. Maenium ac L Furium Camillum imitata, post thriumphum eorum supra columnas stabilita fuerunt (L VIII, 13; PM XXXIV, 20; 23; Eutr II, 7). Anno denique 260 AC, brevi post victoriam navalem C. Duil(l)io de Carthagiensibus apud Mylas partam, celebranda eam Columna Rostralis, cuius scapum rostra hostilium navium ornabant, ad Rostra fuerat erecta (PM XXXIV, 20).

Translatione atque restrictione combustae Curiae a Caesare proposita erat forma Comitii valde mutata. Quam ob rem Caesar Rostra quoque in alium locum, ad meridiem, anno 44 AC transtulit, ea propissime futuro Septimii Severi arcu (v.) ponens et eorum adversionem in Fori partem, ad Vestae ac Divi Iulii templa scilicet, inflectens.

Aedificationem novorum Rostrorum Caesar, scalas construens, inchoavit, Augustus autem confecit. Nova Rostra marmore integre contecta fuerunt. Hic sicut et vetus suggestus exstitit cum plano et ampio vertice, quum partem suggestus posteriorem, ichnografice concavam, scalae informaverunt, quae oratores ad supernum planum ducebant, partes tamen aliae tres ichnographice rectae et praecisae erant. Summa autem Rostrorum planities erat lorica cincta, quamvis pars prior in eius mediocritate ab aliquo saepsto nuda restabat. Huius quemadmodum ac veteris suggestus frontem navalia rostra ornabant, nunc autem usque ad numerus novem et triginta multiplicata et ex aere facta. Quae rostra imitata in duos ordines – viginti in superiorem, undeviginti in inferiorem – distributa fuerunt. Maiores factae sunt etiam dimensiones suggestus, nunc quattuor et viginti metra longi, duodecim metra lati ac tres metra alti. De suggestu Rostrorum restat hodie latus paries eius frontis in opere quadrato ex tofo compositus et in se ordinem foraminum servans, qui olim ad infixionem rostrorum ministrabat.

Statuarum abundantia quin etiam redundantia Rostra semper notabilia erant. Quod usque ad eo, ut Senatus consulta sua plus quam semel edebat de supervacuis statuis de Rostris tollendis. Harum nonullae tamen aliorum longius in suo loco apud Rostra restabant. In his nota sunt tria signa Sibillae aenea, tempore Tarquinii Prisci, ut veteres aiunt, in Comitio statuta, quae post aedificationem Rostrorum novorum ad ea translatae et illic positae fuerant (PM 34, 22) at seriore aetate Imperii Romani et posterius, iam Mediis Aevis Tria Fata nominari solebant. Etiam signum Herculis tunica veneno infusa vestiti et in doloribus morientis ibidem durabat (PM 34, 93). Auctorem operis Plinius Maior, solus veterum eum commemorans, quamquam ignotum esse nominat, doctis tamen hodiernis placet hoc esse opus Rhodiensibus aut Pergamenis statuariis aetate hellenistica factum.

Arcus Tiberii: Vicum Iugarium eo loco congebat, quo haec via Viam Sacram incedebat, interiacens videlicet Templo Saturni et angulo Basilicae Iulii inter occidentem et septentrionem spectanti. Erecta fuit anno 16 PC ad celebrandam victoriam Germanico duce ex nationibus Germanorum eodem aut superiore anno adeptam necnon restituta propter eam

victoriam signa Quinctilio Varo in Teutoburgiensi clade anno 9 PC amissi. Erat Tiberio dedicata; princeps enim solus Imperii temporibus dignus triumphavisse iudicabatur. Habuit singulum transitum. Arcus fortasse in loco ex viae superficie edito stabat et per scalas erat adeundus (L. Richardson). Transitum cameratum, ab utraque parte binis columnis Corinthiae generis ornatum habuit. Caenaculum cum inscriptione dedicatoria Arcum insuper definiebat.

De Arcu Tiberii fundamenta in situ et infima fragmina tantum hodie restant. Huius arcus imago caelata inter decoramina Arcus Constantini etiam nunc spectari possunt.

Templum Saturni: Situm est in parte occidentali Romani Fori et ad meridiem Sacrae viae, ad quam sua fronte vergit. Ex silentio fontium appetet hoc delubrum unicum in toto Urbe templum Saturno sacrum fuisse. Templo Iovis Capitolini excepto, hoc antiquissimum templorum Urbis est post regum expulsionem consecratorum. Placet veteribus hanc aedem Tullo Hostilio,



rege tertio, aut Tarquinio Superbo, rege septimo et postremo, conditam fuisse, loco eodem, quo ara vetusta ab ipso Hercule olim Saturno dicata stabat. Templi consecratio anno 498 AC die 17 Decembris evenerat, quam ob rem dies ille statutus est pro die sollemni, ex quo Saturnalia sacrificio in hoc templo facto quotannis initium capiebant. Hoc primum templi aedificium videtur modo Etruscorum exstructum fuisse sicut et

templum Iovis Capitolini, nam utrumque eodem prope tempore ortum erat, quando huiusce populi mores et sensus artis Romae dominati erant. Plane vero dispar fiet species templi huius anno 42 AC aedile Munatio Plancus opibus ex praeda bellica eodem ab Rauricis et aliis populis Alpinis arrepta denuo aedificati. Eiusdem aedificii reliquum usque ad nostram aetatem exstat. Id est podium magnum Tiburtino lapide vestitum, aream occupans metra $40 \times 22,5$ metra et novem metra altum. In podii parte priore, sub gradibus nunc iam perditis dua conclavia dispertita fuerant, quorum unum pro aerarium publicum (sive Aerarium simpliciter) serviebat. Podio excepto interiit hoc aedificium templi posterius, anno 283 in flammis magni incendii, quod etiam pleraque Fori consumpsit. Diocletiano dominante (284 – 305) Saturni templum restitutum super sospiti podio fuit. De qua parte restituta solum anticum latus portici hodie extat, octo columnas Ionicas non striatas – sex priores ac duas laterales – cum incumbenti eis trabeatura atque parte fastigii media continens. Altitudo columnarum undecim metra, crassitudo metrum

prope sesquialterum est, earum autem materiam granitus efficit, canus in prioribus , rubrus in lateralibus. Diversus columnarum ortus manifestum esse apparet , nam nonnulli earum suis partibus – capitibus basibusque aequae et scapis inter se differunt. Inscriptio, quae adhuc trabem principalem ornat, sic restitutionem templi ultimam commemorat:

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS INCENDIO CONSUMPTUM RESTITUIT.

Sua fronte Saturni templum ad Aram Saturni viae cursu de eo separatam spectabat; aera eius reliquiae hodie sub tecto apud Arcum Septimii Severi (v.) conservantur. In templi autem penetralibus simulacrum Saturni custodiebatur, quod pompa triumphali sollemniter gestatum erat.

Arcus Septimii Severi: Positus fuit anno 203 PC, ut victorias Septimii Severi in bello annis 195 – 199 adversum Parthos eius filiis comitantibus et adiuvantibus gesto celebret. Huius arcus positio adversus angustias loci tempore aedificationis valde obstructi convenit plene quam dispositioni tum adversioni Fori; alter enim eius frontium principalium trans Sacram viam ad Templum Concordiae et respective ad Montem Capitolinum, alter autem ad contrarias Fori partes spectat. Nihilo minus Arcus, qui ad septentrionem ab axe medio Fori exstitit, huius areae pristinam aequitatem partium (symmetriam) relativam violavit.



Est Arcus 20, 88 metra altus, 23, 27 latus ac 11, 20 crassus, cum tribus transitibus principalibus, quorum medius est lateralibus altior et latior, atque uno transitu transverso et aliis humiliore, constructus ex Tiburtino lapide lateribusque ac totus marmore crustatus. A parte Fori ad Arcus frontem sex aut octo lati gradus ducebant.

Transitus sunt omnes fornicati. Ad pilas hos dividentes et finientes columnae singulae in utraque fronte appositae sunt, quarum genus compositum est. Hae columnae ad trabeaturam communem, quae arcum circum cingit, consurgunt, nec eam tamen ferunt, sed partes trabeaurae singulas supra caput cuiusque columnae projectas. Sunt proiecti etiam scamilli columnarum, altiores facti proprietum basium opera. Supra columnas trabeaturamque caenaculum positum est cum areis extensis utrique fronti praeditis et singulos titulos commemorativos continentibus. Etiam superius, in summo caenaculo currus aereus cum Septimio Severo sex aut octo equis tamquam in triumpho vectus et filiis huius principis, Caracalla Getaque assecutus antiquitus videbatur. Cuius

autem vestigia hodierno tempore solum in imaginibus nummorum illius temporis inveniri possunt, nam ipsa signa sortem communem fere omnium aeneorum operum antiquorum, in furnis recoctorum, partita sunt.

Hic arcus est etiam caelaturis profuse ornatus. Earum quattuor, quae supra laterales transitus sunt collocatae ac forma quadratae, binae in utraque fronte, gesta bellica Septimii Severi exercitusque eius narrant. Sic una caelatura, Forum spectantium dextera, inferiore parte sua oppugnationem Ctesiphontis machinis et eius expugnationem (anno 198 PC), parte superiori et maiore allocutionem imperatoris ad milites suos monstrat. Sub caelaturis quadratis longa et angusta fascia caelata pompam triumphalem monstrans expanditur. Item alites Victoriae volantes in angulis utroque latere fornícis medii ac in similibus locis ad fornices laterales dei fluminum spectari possint. Cuneum fornícis medii effigies dei Martis decorat. Denique in latere frontali cuiusque scamilli singulus miles Romanus cum Partho captivo ostenditur.

Sui artis genere videntur caelaturaे arcus huius caelaturis columnae Marco Aurelio dedicatae (v. i.) propinquas esse, quibus factis inter annos 176 et 193 suprafatae etiam in tempore propinquae sunt. Hae tamen suo more superficiem corporum atque ea circumfundentem naturam diligenter tradendi magis picturae similes videntur at arte formas corporales imitandi multo minus accurata caelaturis illius Columnae manifeste distant. Eo ipso decoramen sculptile Arcus non secus et eius forma aedificatoria novum gradum in exsistentia historica Romanae artis fuisse apparet.

Quamquam signa aenea iam pridem de summo caenaculo evanuerunt, nostris diebus integritas arcus prae multis aliis monumentis benissima est. Id ex eo pendet, quod aetate media pars aedificii eius meridionalis erat inclusa in aedificium ecclesiae Sanctorum Sergii et Bacchi (*chiesa di SS. Sergio e Bacco*) at septentrionalis pars munita erat.

Templum Concordiae: Positum inter Templum Vespasiani Titique et Mamertinum Carcerem, Templum Concordiae Tabularium postica parte attingebat at sua fronte ad Arcum Severi et Rostra spectabat. Exstitit anno 347 AC, ut celebravisset legem Liciniā eodem anno susceptam, quae finem saecularis discordiae inter plebeios et patricios imposuit; dedicator autem Templi fuit M. Furius Camillus dictator. Ex obliquis indiciis iudicando licet concludi aream Templo eius aetatis occupatam dumtaxat 15×25 metra fuisse. C. Graccho anno 121 AC occiso Templum fuit a L. Opimio consule funditus restauratum documento pacis civilis denuo reconciliatae. De templo Opimii nihil hodie restat praeter podium ex caementicio factum et in podium posterioris aedificii Templi instructum; inter nota exempla operis caementicii hoc est antiquissimum.

Annis a septimo ad decimum PC Tiberius, princeps futurus, hoc templum, etsi regnante etiamtum Augusto, restauravit. Aedificium amplificari opportebat, tamen spatium Tabulario

pone ac Rostris Comitioque ante restrictum copiam non dabat illius in longum extendendi. Quia de causa restauratum Templum contra morem classicum Romanis acceptum ichnografice in rectangulum plus latum quam longum (45×24 metra) conversum erat. Stabat super alto podio scalis in fronte instructo. Quod in se duo conclavia continebat, quae fortasse erant thesauros. Scalae et pronaos erant angustiores Templi fronte: pronaos aream 34×14 metra occupabat et erat hexastylos cum columnis Corinthiis ex marmore albo, 1,5 metra crassis et 15 metra altis (sicut etiam relictus eius imitaminis antiqui in Emerita Augusta – hodierna *Mérida* in Hispania – archaeologis anno 2003 inventa demonstrant). In limine cellae ex marmore Chio (italianice *Portasanta* appellato) erat imago caducei incisa. Cella Templi erat duobus ordinibus columnarum in tres naves divisa. Quae columnae super pluteis errigebantur, capita cum salientibus arietibus exsculptis, quorum cornua erant cauliculorum loco in quattuor angulis disposita, habentes. Parietes in Templi interioribus undecim aediculis ornabantur, quarum una contra ostium posita statuam ipsae Concordiae cultui destinatam antiquitus in se continebat. Totum aedificium erat marmore vestitum.

Tiberius in Templo sui generis musaeum, hoc est thesaurus diversorum operum artis, praecipue Graecae, effecit. Illic erat signum Vestae (Graece Hestiae), quod ille Parios sibi anno 6 AC ad templum decorandum vendisse coegit (Cass. Dio LV, 9, 6). Hoc opus non nullis placet idem fuisse, quod est a Plinio Maiore (XXXVI, 25) memoratum simulacrum marmoreum sedentis Vestae in Hortis Serviliis Romae, ipso *Scopa* factum. Alia opera, quae in Templo Concordiae antiquitus durabant, erant: *Euphranoris* statua Latona genitrix ulnis infantes Apollinem Dianamque tenens (PM XXXIV, 77); *Zeuxidis* tabula Marsyas alligatus (PM XXXV, 66); *Niciae* tabula Liber Pater; quattuor elephantes ex ignota materia, «obsiano» quodam, facti (PM XXXVI, 196); etc.

Hodie relictus sane quam exigua Templum Concordiae testantur: nucleus podii, limen cellae cum inciso caduceo, per pauca fragmina pavimenti marmorei necnon dispersa frusta partium architectonicarum, quorum spectabilissima sunt fragmen sumptuosae trabeaturae hodie in Tabulario et caput columnae Corinthium in Antiquario Forensi manentia.

Templum Vespasiani et Titi seu Templum Divi Vespasiani: Situm est ante frontem Tabularii et post gradus Templi Saturni, inter Templum Concordiae a dextra et Porticum Deorum Consentium a sinistra, fronte autem sua ad Forum versus. Aedificatio Templi erat incohata regente Tito (annis 79 – 81 PC) confectaque Domitiani tempore (81 – 96). Primum erat Vespasiano solo deis post mortem anno 79 PC ad numerato dedicatum, posterius autem, filio eius et successore Tito defuncto, huic etiam.

Quoniam Clivus Capitolinus, eo valde significans, quod per illum pompa triumphales ad Capitolium ascenderant, ante Templum iacuit, et huic ea re non permisit porro extendi,

Templum una cum sua cella solito brevius exstitit (cf. supra Templum Concordiae). Cubuit in podio nucleus caementicum Tiburtino lapide vestitum habente atque aream 22×33 metra occupante. Scalae in fronte intra ipsam cellam ferebant; nam propter angustiam supradictam etiam post priores columnas continuabantur. Templum erat prostylon et hexastylon Corinthii generis cum tribus columnis ab utroque pronai latere, quum altitudo columnarum 15,2 at harum dimetiens in parte scapi inferiore 1,57 metra attingebat.

Fascia trabeatare superior imaginibus caelata ad apparatum sacrificalem pertinentibus et inter bucra (calva boum) numerose dispositis, quae sunt urceus, patera, securis, aspersorium etc, est externi decoris pars praecipue nota et spectabis. Cellae parietes ex lapide Tiburtino compositi et marmore, albo extrinsecus, crustati, columnis ornabantur, quae erant pronai columnis omnino consimiles, tamen explanatae, alio verbo parastades. Ostio cellae contraria erant in basi communi posita simulacra Vespasiani Titique, amborum solio sedentium.

Restauratio Templi fuit regnantibus Septimio Severo (193 – 211) et Caracalla (211 – 217) effecta, quae tamen aedificium parum immutavit in quantum sensus artis in hodiernis ruderibus manifestus aestimari potest. Restauratione autem facta fuit inscriptio memorialis caelatis fasciae imaginibus in fronte Templi substituta, etsi caelatura in lateribus mansit.

Rudera Templi antea terra usque ad columnarum capita mersa anno 1811 architecto Iosepho Valadiero (*Giuseppe Valadier*) fuerunt ad lucem revocata; ceteroquin hoc monumentum etiamtum Templum Iovis Tonantis fuisse opinatum erat.

Hae sunt partes Templi in situ hodie manentes: podii nucleus, duo fragmina parietis, relictum baseos ad interita simulacra imperatorum olim destinata. Partem autem ruderum spectabilissimam esse tres columnae apparent in angulo pronai dextro stantes una cum fragmine trabeatare eis fulto, cuius pars ad Forum versa finem inscriptionis saeculi III PC in se fert, «...[r]estituer(unt)», quum pars lateralis primorem caelaturam adhuc servat. Caelatura huius imago supradicto Valadiero duce in gypso expressa in Tabulario nostris diebus custoditur, ut facultatem spectatoribus det diligentioris contemplandi, archetypi enim situs et ruinosa conditio tale non sinunt.

Porticus Deorum Consentium (id est consentientium vel consulentium): Sita est inter Tabularium, cui postica parte adiacet, Saturni templum, ad cuius latus dextrum fronte est versa, atque Vespasiani Titique templum. Ala Porticus brevior prae sinistra Tabularii fronte locata est, ala autem eius longior secundum Clivum Capitolinum obtuso angulo protinus deflectit et suo tofino pariete adhuc exstante clivum eum fulcit. Dedicata est duodecim dis Olympiacis, quorum sex viriles erant sexque muliebres. Horum deorum duodecim signa in Portico locum habebant, aut inter columnas, aut paribus, deus cum dea, in sex aedibus post alam dextram positas.



Sensum artis in aedificio visibilem si respiciamus, oportet eum exeunte saeculo primo AC constructum fuisse existimari. Placet tamen non primum talem in hoc loco durare; Varro saltem (*De re rustica*, I, 4), qui saeculo primo AC vixit, duodecim aurata simulacra Deorum Consentium in regione Fori referat.

Columnae porticus fuerunt initio omnes ex marmore Carystio (*cipollino*) et secundum generem Corinthium effectae, quum capita earum caelatis spoliis militaribus ac scapi striis cum virgis impositis decoratae sunt. Trabem inferiorem ornans inscriptio narrat restorationem Porticus anno 367 PC opera Vettii [Agorii] Praetextati, noto nobis pro uno ultimorum religionis gentilis defensorum, effectam fuisse.


Tempore tamen elapo desertum monimentum hoc demolitum apparuit. Aedificium ad ineuntem saeculum undevigesimum iam in ruderibus iacens anno tamen 1834 fuit effossum ac anno 1858 de exstantibus fragminibus cura nobilis archaeologi italiano Ludovici Caninae (*Luigi Canina*) recompositum, quum partibus deperditis fuerunt substituae novae, ex Tiburtino lapide factae, columnarum autem veterum disiecta membra anis ferreis denuo consolidata.

Tabularium: Est aedificium antiquae Romae publicum ac magni momenti insuper, nam acta ad summam rerum Romanam pertinentes in suis aedibus continebat, in quorum numero tabulae ex aere cum incisis in eas legibus inveniebantur, unde et Tabularii nomen ortum est. In proclivitate Capitolini montis et huic aversa parte continens erigitur, idcirco Asylum pone eum extensem sua mole antiquitus operiebat; fronte autem sua ad Forum Romanum spectat. Aedificium id anno circiter 79 AC, non longo tempore videlicet post Capitolium incendio anni 83 AC devastatum, consilio Senatus, sumptibus Q. Lutatii Catuli et arte architecti *L. Cornelii Ostiensis* est constructum, anno autem 46 PC, aetate Claudii restauratum et renovatum est.

Tabularii frontis longitudo 73,6 metra attingit. Aedificii paries in parte inter occidentem et septentrionem spectante haud magnum recessum faciebat, cuius causa est templum infernalis dei Veiovis hoc loco prius aedificatum ac deinde in Tabularium inclusum. Dedicatum fuit hoc templum anno 192 AC, etsi eius reliquiae hodiernae a renovatione saeculi primi AC descendunt. Constatbat in podio ex Tiburtino lapide facto et a fronte gradibus ornato, cellam habuit latiorem quam longiorem (13,70 × 7,70 metra) et Veiovis simulacro cultui destinato (ad annos

septuagesimos primi saeculi PC – PM XVI, 216 – cupresseo, posterius autem – v. hic infra – marmoreo) instructam atque pronaon tetrastylon cum ara parvula in eo.

Tabularii structura habuit olim tres tabulata, quorum inferius alto muro ex lapide Tiburtino atque tofo (propius dici eius specie, quae italiane *peperino* appellatur) composito et fere continuo, nam solum sex non magnis fenestrulis perforato, ad Forum spectabat. Ambo tabulata



superiora invicem ad Forum aperta erant porticum publicarum modo. Item frons tabulati medii erat arcubus decem in pilas innisis ornata. Quae pilae singulis semicolumnis Doricis decoratae necnon arcus inter eas positi trabeaturam cum fascia Dorica (id est in triglyphos metopasque divisa) ferebant. Semicolumnarum autem scapi tofini (proprius dici ex *peperino*) erant, earum tamen capita atque trabeatura ex lapide Tiburtino.

Pone frontem tabulati transitus longus extendebat, cuius partes singulis luminibus arcuatissimis respondentes fornicibus singulis cameratae erant. Denique summum tabulatum frontem habuit arcuum privam, sed columnatione generis Corinthii cum trabeatura insuper informatam. Quod est superpositioni partium in architectura Graeca et Romana proprium, nam idea formam classicam eius definiens postulat, ut leviora visu tabulata super tabulatis visu gravioribus ponantur. In summa autem dici potest Tabularium ad imaginem Fori formandam magni ponderis fuisse. Illud enim huic imagini spectabilem parietem posticum instar scaenae theatalis praebuit ac itaque hunc digne confecit, nam cuique pomparum triumphalium via versus Capitolium ienti undique Fori visum erat.

Antiquo tempore exacto atque tempore dissensionum Romae ineunti Tabularium in castellum baronalis familiae Corsiorum (*Corsi*) convertitur. Deinde, id est saeculo XII fit illud sedes potestatis municipalis Romanae cum nominae Palatii Senatorii (*Palazzo Senatorio*). Ab anno 1536 PC palatium est permutationes gravissimas passum arte et opera magni artificis et architecti Italiani Michaelis Angelii (*Michelangelo*) effectas. Novum aedificium super duobus tabulatis inferioribus antiqui Tabularii invicem tabulati superioris tunc iam elapsi erigitur, sed magnifica frons eius ab hoc tempore non ut prius ad Forum, tamen ad contrariam partem spectat, qua Capitolii forum (*Piazza di Campidoglio*) eodem Michaele Angelo adumbratum loco antiqui Asyli patet at procul basilicae Vaticanae tholus ingens, eiusdem artificis opus ut symbolum

triumphantis Christianae religionis videri potest, quum aversa et non ornata palatii pars, alio verbo eius dorsum, ad Forum gentilium temporum vergit.

Quamquam aspectus Tabularii vetus omnino in suo situ restitu non potest, partes eius singulares, obscurae pridie, nostris diebus in lucem exeunt. Exempli gratia memoro arcuatas aperturas tabulati medii. Quae quamquam omnes post antiquam aetatem fuerunt opere quadrato in continuum parietem inclusae, nunc tamen tres eorum una cum suis arcubus, semicolumnis ad lateres atque trygлиphis metopisque decorata fascia sunt visibles. Accessibilis est etiam antiqua porticus fornicata his aperturis adiacens. Denique dei Veivis ex praedicto eiusdem templo simulacrum marmoreum et naturali magnitudine duplo maius, etsi capititis manuumque privum inventum, hodie in quadam aede Tabularii custoditur; pro tempore eius efficiendi homines docti exiens primum aut iniens secundum saeculum PC computant et imitamen operis Graeci in eo vident.

CAPITOLINUS MONS:

CAPITOLIUM:

Templum Iovis Optimus Maximus (aliter **Templum Iovis Capitolini** aut simpliciter **Capitolium**):



Primitus

Capitolium aedicare
incepérat Tarquinius
Priscus (616 – 579
AC), confecit
Tarquinius Superbus
(535 – 510),
consecravit anno
509/508 AC, iam post
expulsionem regum
videlicet, cos. M.

Horatius Pulvillus. Ergo aedificabatur temporibus potestatis regum Etruscorum et constructum fuit in modum Etruscum, id est: corpus eius in tres cellas in latitudinem divisum erat, quarum cella media Iovi, cella sinistra (relative ad Iovis cellam dextra) Iunoni, cella dextra (relative ad Iovis cellam sinistra) Minervae consecratae erant (sc. deis, qui cuncti Triadem Capitolinam, cultum principalem Romanae rei publicae efficiebant). Extra: Super fastigiis Capitolii prioris tres quadrigae fictiles, media quadriga cum Iove, laterales quadrigae cum Iunona et Minerva, omnes tres opus fortasse *Vulcae Veientani* (PM XXXV, 157) erant. Intus: In Iovis cella Capitolii prioris

culti destinata statua Iovis fictile duravit, cuius facies minio (rubro pigmento) oblita erat, plasmata, ut veteres aiunt, eodem Etrusco de Veiis, *Vulca* nomine, auctore Tarquinio, aut Prisco aut Superbo, (PM *ibid.*). Ea etate in Capitolio erant etiam visibilia ab unum usque tria paria scyphorum argenteorum, *Mentoris*, inclyti caelatoris Graeci opus, 83 AC igne incendii perdita (PM XXXIII, 154).

Suprafato incendio Sullae tempore facto primum deleta erat Iovis aedes. Restitutum anno 69 AC Templum conservavit in toto suam pristinam formam Etruscum. Tunc tamen substituit veterem Iovem nova statua chrysoelephantina (sc. cum partibus corporis apertis ebore, aliis auro imitatis), artifice *Appolonio* ad exemplum Iovis Phidiaci facta. Eodem tempore canis quoque aeneus in cella Iunonis usque ad incendium Vitellianum 69 AD (PM XXXIV, 38) duravit. Ea bestia sicut vulnus suum lambens tam verisimiliter hic imitata erat, ut pretium eius omnem modum superavit; imitatio dicti signi marmoreus canis opinata est, qui hodie in Musaeo *Barracco*, Romae conservatur. In cella vero Minervae, super aedicula Iuventatis tabula *Nicomachi* Raptus Proserpinae et in eadem cella (?), *eiusdem* Victoria in quadriga ascendens erant, ambae in igne 69AD perditae (PM XXXV, 108). Eodem tempore, incerto templi loco servabantur quoque illustris Theseus, picta *Parrhasio* tabula. Post triumphum suum de Mithridate Eupatore et de maris praedonibus anno 61 AC consecravit Pompeius Magnus (106 – 48) in templo Mitridatis dactyliothecam (collectionem gemmarum) ab hoc rege arreptam, sua magnitudine illustrem (PM XXXVII, 11) et vasa murrinea cum multis aliis rebus pretiosis (PM *ibid.*, 18).

Templum Iovis Tonantis: Loco ante templum Iovis Optimus Maximi fuit ex marmore templum haud magnum Iovis Tonantis, principe Augusto ex voto, anno 22 AC positum. Intus duravit statua Iovis, fusa ex aere Deliaco, *Leocharae* opus, ut Plinius Maior (XXXIV, 10) refert, qui eam laudibus ante omnia dignam (*ibid.*, 79) appellat. Ante templum Iovis Tonantis stabant Dioscuri, equos coercentes, opus aeneum *Hegiae*, sculptoris Graeci. Is habetur artificem excellentem severi generis artis (480 – 450 AC) et praceptorum Phidia in arte sculptoria fuisse. Vitruvius aestimat illum arte sua principes artis aequasse, tamen propter suam fortunam ingratam famam eius arte dignam non adeptum fuisse. Illorum Dioscurorum marmoream imitationem priscam et colosseam placet hodie Romae, in Foro Quirinalio (*Piazza Quirinale*) stare. Quod si verum est, illud Hegiae opus circiter annum 475 AC factum fuit. Capita autem heroum in hac imitatione sunt opinata substituta.

Aedes Fidei: Adorationem Fidei (cuius appellatio plena est *Fides Publica Populi Romani*) rex Numa in Capitolio antiquitus instituit. In eius adorationis loco anno 254 (aut 250) AC aedes Fidei apud templum Iovis Capitolini constructa et consecrata erat ac anno 115 AC fuit hoc templum restitutum ac denuo consecratum ab Marco Aemilio Scauro cos. Hic pactorum et

foederum, quae Romani cum aliis gentibus fecissent, tabulae servabantur. In eodem loco tabula *Aristide* picta Senex cum lyra puerum instruens erat (PM XXXV, 100).

Statuae qui diversis locis in Capitolio stabant: Regum Romanorum, excepto Tarquinio Superbo et incluso Tito Tatio, Romulei regni socio, septem statuae aeneae Capitolium ornabant. Regibus additus erat hic quoque Lucius Iunius Brutus, etsi ultimi regis expulsor, cum stricto ense praesentatus. Eas octo statuas aeneas saec. 4 aut 4 – 2 AC factas fuisse placet. Circiter annum 45 AC fuit apud Bruti effigiem statua Caesaris quoque posita, quod inspiravisset Marcum Iunium Brutum, Lucii subolem, coniurationem contra Caesarem facere atque hunc occidere (Cassius Dio XLIII, 45).

Fuerunt ibidem et varia signa colossea, quae inter Apollo Medicus, triginta cubitos (13,2 m) in altum, quem ex Apollonia Pontica (Sozopoli in nostrorum temporum Bulgaria) anno 72 AC Marcus Lucullus evexit et in Capitolio consecravit (PM XXXIV, 39; Strabo VII, 319 eam statuam *Calamidi* ascribit), item colosseus Hercules, Fabio Maximo anno 209 AC cum aliis spoliis in Tarento arreptus (PM XXXIV, 40) ac duo quoque capita immania, ex aere facta, quorum unum *Charetis*, Colossi Rhodii opificis opus esset (ibid., 44). Plinius Maior (ibid., 43) memorat insuper unum colossum, Iovis effigiem, quem Spurius Carvilius post victoriam de Samnitibus (anno 293 AC) ex armis hostium arreptis factum esse iussit et qui de remotis Urbis partibus visibilis erat. Apud pedes huius simulacri posuit Carvilius imaginem suam, ex reliquiis eorumdem armorum aeris ductam.

ASYLUM

ARX

Templum Iunonis Monetae.

Aedes Honoris et Virtutis (Mariana): V. in: MONIMENTA IGNOTAE vel INCERTAE LOCATIONIS

PALATINUS MONS:

Templum Apollinis: Fuit annis 36 – 28, auctore Augusto ex marmore Lunensi factum. Pondus templi eius Augustus ante omnia templa Urbis voluit magnificari, quoniam in Apolline videbat is tutorem suum coelestem, qui victoriam apud Actium eo donavisset. Quapropter non mirum est Augustum pro pontifice maximo huc libros Sibyllinas de Capitolio transponi iussere.

Templum porticus ampliae cum statuis 50 Danaidum et 50 maritorum earum circumdabant. In portico quattuor signa boum, aenea forsitan, opus Myronis, circum aram stabant (Prop II, 31, 7sq.). Extra: Supra fastigium statua *Bupalo* et *Athenide* (?) facta exsurgebatur (PM XXXVI, 13). Intus: Apollinis Citharoedis effigies (Prop II, 31, 5sq.) cultui fortasse destinata, *Scopae* opus, inter effigies Latonae, *Cephisodoto* facta, et Diana, *Timotheo* sculpta, positum (PM XXXVI, 24

– 25). Lampas erat ibidem sicut arbor cum ignibus in speciem pomorum pendentibus; illam Alexander Magnus Thebis captam, Cymae (in Aeolide) eodem deo dedicavit (PM XXXIV, 14). Etiam estimatum est ex Templo Apollinis ortum fuisse unum fragmen picturae parietalis (nunc in Museo Palatino Romae servatum) deum huius templi nudum ostendens et supra omphalon (id est suggestum in fano Delphico veteribus pro umbilico orbis terrarum opinatum) sedentem; area ei postica caerulea est.

Porticus anno 64 PC, templum autem multo posterius, anno scilicet 363 PC combustum fuerunt.

Cryptoporticu Neronis: V. infra: Domus Tiberiana.

Domus Liviae: Neronis cryptoporticu globum domorum plus aut minus destructarum et effossarum in meridie attingit. Harum una, ad porticum Neronis proxima, iam anno 1869 archaeologo Petro (*Pietro*) Rosa in lucem reducta et ex eo sub nomine Domus Liviae (*Casa di Livia*) nota est, nam prope Domo fistula plumbea inventa fuit cum inciso nomine Liviae, Augusti uxoris.

Aedificium hoc est ordinaria domus Romana cum atrio. De qua domo ad diem nostram solum tabulatum inferius remansit, superius autem, quod erat hic antiquitus, abest hodie. Famam eius monumenti hodiernam tabulini depictio, imprimis eius dextri parietis, effecit. Supra hunc parietem imitati sunt pictura duae columnae albae Corinthii generis, supra scamillos ac ante aream posticam rubram stantes et lacunaria in prospectiva picta ferentes. In tribus luminibus inter columnas et ad latus eorum imagines dispositae sunt, quarum laterales prospectivas duas architectonicas hominum figuris habitatas mire ostendunt, medium quidem argumentum mythicum decorat, quod imitationem pictae *Nicia* tabulae esse placet. Hic Io, Iovis amata, sub alta columna quandam figuram femineam ferente videtur, quam Argus, sub iuvenili forma a dextra ostentus, iussu Iunonis custodit, cum legatus Iove Mercurius furtim huc a sinistra accedit, ut eam de custodi molesto liberasset. Supra tigna columnis fulta locatae sunt sphinges aliaeque divinitates alatae necnon eventa varia capta fortunate ex cotidiana vita.

Paries tabulini frontalis et angustus est imagine picta, valde tamen corrupta ornatus. Haec imago Polyphemum parvulo Amore ligatum atque Galateam, quae in hippocampo equitans raptum amore gigantem lacescit, ostendit. Cubiculum quidem a dextra tabulini locatum (ala dextra scilicet) propriam picturam in parietibus habet. Ea constat ex pictis columnis sertibus ornatis atque fascia supra columnas porrecta, quae vicissim figuris picta est. Hae figurae ante aream posticam flavi coloris positae (quod italiane *fregio giallo* dicitur) sunt et eventa ex vita Aegyptiaca ostendunt.

Domus depictio facta est anno fere 30 AC. In totum dici oportet coniunctionem duorum diversorum generum artis depictioni Domus Liviae propriam esse. Nam in prospectivis

lateralibus tabulini genus Pompeianum secundum, in marginibus quidem architectonicis aequae et in imagine media eiusdem picturae tertium Pompeianum genus clare videtur, quemadmodum ac in decoramine alae dextrae.

Domus Augusti: Ad partem Domus Liviae meridionali globus quidam domorum stabat, cuius reliquiae nostris temporibus effossae sunt. Sicut hominibus antiquitatum peritis placet, erant haec aedificia una cum domo Liviae in proprietate Augusti principis ea habitantis (cf. Sv Aug. 72). Quod si vere est, vicinitas eorum Templo Apollinis (v. supra), ab Augusto p[re] alia fana fauto, explanari potest.

In eoo parte eius complexionis fuerunt dispositi oeci pompales, quum in parte vespertina cubicula parva sunt archaeologis aperta. Nonnulli cubiculorum adhuc luculenta vestigia decoraminis antiqui conservant, picturalis praecipue et facti circiter annum 30 AC, id est simul fere cum picturis quae in Domo Liviae sunt. Eorum unum, Personarum cubiculum (italiane *Ambiente delle Maschere*) ex conventu nuncupatum, tres parietes pictos etiamnum habet, architecturam scaenicam ostendentes inque media altitudine personis theatalibus ornatos. Ianuae tamen loco, quae in media scaena antiqua ex solito posita erat, hic in quoque pariete singulus prospectus cum sacrario rustico aperitur.

Haec pictura spem inanem longinquitatis in spectatore excitat. Qaedam similia sunt quoque in cubiculo contiguo visa, quo in parietis parte superiori imago cavaedii cum porticatione picta est.

Templum Cybeles: Constructum anno 191 AC. Templi religio principalis lapis niger de Pessinunte fuit. In cella signum argenteum Cybeles, cultui destinatum, dimensionibus parvum stabat. Eius imaginum ritu erat Cybele hic ut in sella sedens repraesentata, cum lapide illo nigro capitis in vicem. In vestibulo templi statua Claudiae Quintae erat, cuius sancta castitas ex traditu veterum lapidem sacrum in Urbem afferre adiuverat. Restat hodie templi basis atque statua marmorea Cybeles in solio sedentis, opus primi saeculi AD, cui caput ex alia materia factum deest hodie.

Complexio Palatina seu Palatium: Medio Palatino, supra Domus Neronianae atque illorum domorum reliquias, quae Rei publicae liberae temporibus exstructae fuerant, stabat antiquitus regia sumptuosa et ingens, de qua hodie fundamenta solum et aliquot locis rudera magnitudine sua animos adhuc – et nunc lugubre – afficientia restant. Molita fuit iussu Domitiani principis (regnavit 81 – 96) ac architecto *Rabirio* magistrante ut pro sede principis esset proque tali usque ad finem Romani Imperii permanebat. Nuncupata fuerat Palatium, secundum situm suum in Palatino monte ac postea nomen hoc qualecumque regalem domicilium et etiam quodlibet aedificium luxuriosum significare incepit (ex quo in linguis novis *palazzo*, *palais*, *Palast*, *palace* necnon et Ruthenicum *palaty* habemus). Magnitudo immensa et immanis luxuria

Palatii divitias rei publicae Romanae ad tempus aedificationis eius immodice auctas atque potestatem Domitianus tyrannicam certissime testabatur.

Erat ista complexio architectonica tribus partibus, scilicet aedificiis ichnographice rectangulis, ex ordine ab occidente ad orientem collocatis et alterum alteri longiore latere adiacentibus informata. Occidentalium pars, quae est sicut **Domus Flavia** nota, ad habitationem destinata non fuit, hic enim ingens ($30,5 \times 38,7$) aula regia disposita erat, qua publica auctoritate et omni pompa debita legati aliqui hospes venerabiles accipiebantur dum princeps tamquam sacra effigies in abside adversus introitum effecta supra solium sedebat. Parietes aulae marmore colorato sectoque ac versicoloribus columnis decorati fuerunt, inter columnas autem colosseae statuae ex lapide nigro (basalto) factae et in aediculis collocatae steterunt.

Haec aula partem aedificii ad septentrionem vergentem occupavit. Ad meridiem ab ea peristylum cum aqua saliente in labrum octagonum inclusa iacebat; ad occidentem autem aula alia («Basilica» archeologis nuncupata) disposita erat, apsidem habens et in tres naves duobus versibus columnarum divisa, quae oppinione doctorum auditorium erat ad concilium dominantis destinatum. Obscurior est destinatio conclavis in parte orientali positi et «Lararium» temere nominati, tamen fortasse ad commorationem militum praetopianorum servientis. Ad hoc dicendum est sub eo «Larario» cuiusdam domus reliquiae archeologis ineunte vigesimo saeculo inventa fuisse. Quae hodie condicionaliter *Casa dei Grifi* (Domus Gryphium) nominatur et cuius parietinae nonnulli picturarum inter exeuntem secundum et ineuntem primum saeculum in genere Pompeiano primo atque secundo effectarum conservant necnon imagines prostypae eiusdem aetatis de gypso ficta tinctaque, in his numerosa figmenta avium atque bina imago gryphium, in semicirculum super pariete posita, ex qua imagine domus nomen suum acquisivit. Picturae autem parietariae nonnullae domus eius, quae sunt vetustissima Romae adhuc inventorum exemplarium generis Pompeiani secundi, prospectus architectonicos falso longitudine spatii oculos pellicentes ostendunt. Tali modo parietem ceu perspicuum penetrabilemque faciendo et sic rem corporalem in quodam ad visum incorporale vertendo, forma funditus nova neque classica iter sibi in artem architectonicam aperiebat.

Sed revertamus ad Domum Flaviam. Lateri meridiano eius peristylii ampla aedes cum apside adiacebat, quem fontes litterarii “Coenatio Iovis” dicunt quique sumptuosa cenatio principis erat. De eius splendore et magnificentia multa relicta pavimenti cuniculis ad eum recalificiendum subter instructi et marmore versicolori desuper tecti adhuc supersunt. Eius conclavis duo parietes adversarii binis fenestris amplissimis ad bina nymphaea patebant.

Aedificium Domui Flaviae contiguum ac **Domus August(i)ana** denominatum fuit habitatio principium Romanorum pro Domitiano initio exstructum et super duabus altitudinibus inaequalibus dispositum. Partem septentrionalem et superius iacentem aedes formaverunt circa

peristylum cum labro ac minuto Minervae templo collocatae. Pars meridionalis inferiorque aequa circum peristylum se disposuit, quod tamen labra semirotonda numero quattuor ornabant, apud margines eius iacentia. Introitus principalis fuit ad Circum Maximum versus et formam exhedrae spatiosa porticu praecinctae habuit.

Tertium ultimumque complexionis aedificium porro ad orientem iacens **Stadium Domitiani** (*Stadio di Domiziano*) dici oportet, cuius destinatio pristina adhuc incerta est. Ichnographiam habet stadiis antiquis eum similem efficientem, id est porrectum cum uno fine rotundato. Amplum spatum internum sub Iove iacentem apertae ad eum porticus bitabulatae circumdabant. Credibile tamen est hoc spatum hortum Palatii antiquitus fuisse.

Domus Tiberiana: In orientali Monte Palatino, inter Clivum Victoriae et Apollinis templum disposita complexio architectonica, sedes principium Romanorum magnifica et sumptuosa. Aedificari Tiberio (ex quo Domus cognomen videlicet oritur) coepit, in Palatini loco elatissimo et Fori amplissimum despectum ideo pateficiente, ubi domus natalis eius principis ante collocabatur. Tum situs magnus cum peristilio in parte media exstitit, primum scilicet in Palatino verum palatium.

Dominis autem posteris astructa aedificia Domum Tiberianam consequenter extendebant. Primus Caligula fuit, qui Domum ad Forum versus amplificavit ac transitu tecto eam cum forensi Templo Castorum coniunxit, fanum hoc in vestibulum sui palatii sacrilege convertens (Su Cal. 22: «Partem Palatii ad Forum usque promovit, atque aede Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens saepe inter fratres deos, medium adorandum se ineuntibus exhibebat»). Huius structurae pars transitoria fuerat nimirum post mortem principis destructa, sed effossiones archaeologicae relicta peristylii cum ampla (29×9 metra) piscina et inscriptio ea nomine Caligulae post Castorum templum aperuunt.

Deinde Nero aream Domus propagavit. Cuius additionum optime conservata est **Cryptoporicus dicta Neronis** secundum orientale Domus latus extensa et eam primitus cum Domo Transitoria eodem principe aedicata coniungens. Huius porticus fauces sunt ab utroque latere pariete operatae et fornice fenestellis ornato cunctae, quum multa relicta decoraminum albariorum depictorum in Porticus parietibus necnon musivorum in pavimentis conservantur.

Domitianus quoque gravem Domus extensionem efficit, qua completa terrenum complexionis aream 150×120 metra attigit et magis quam prius ad Forum appropinquavit. Postea principes Antonini palatium hoc perpetuam suam sedem fecerunt. Quorum Hadrianus structuram magnificam fornicibus et arcibus conformatam exque imo Foro plane visibilem super Atrio Vestae posuit illam cum hac latis gradibus coniungens. Ea structura Hadriani est Neronis porticu excepta spectabilissimum hodie relictum Domus. Cetera autem sunt magna parte aut sub humo

Farnesianorum hortorum (*Orti Farnesiani*) hic saeculo XVI institutorum occulta, aut post exeuntem saeculum X et praecipue saeculo XVI destructa vel spoliata.

Septizodium sive Septizonium: Montis Palatini extremitati meridionali adiacebat una insuper aula, cuius nominis origo et vis hodie in dubio est. Illam domum vastam et sumptuosam princeps Septimius Severus sibi ipsi exstruxit, cum palatia montis Palatini reparaberat post incendium anni 291. Septizodii magna et bene conservata ruina a papa Sixto V ad ultimum demolita fuerat.

Aedes Fortunae Huiusce Diei (in Palatino): Erat alicubi in Palatino monte sita; tempus autem eius aedificationis incertum appareat. Memorabilis est signo Minervae ipso *Phidia* facta (PM XXXIV, 54) etsi non ex numero huius artificis operum, quae sunt hodie per existentes imitationes antiquas nota. Eam Emilius Paulus anno 167 AC ex praeda sua in Graecia anno ante erepta consecravit. Placet ibidem [aut fortasse in altera aede eiusdem nominis in Campo Martio (v. infra) posita] duas insuper statuas *Phidiae* palliatas durabant, quas teste Plinio (Ibid.) Q. Lutatius Catulus, consul anni 102 AC dedicaverat. Idem auctor (Ibid. 60) etiam «signa ad aedem Fortunae Huiusce Diei septem nuda et senis unum laudata» commemorat, assignans ea *Pythagorae Samio*, quem plurimi docti hodierni eundem ac perillustrem antiquitus *Pythagoram Regium* fuisse putant.

FORA IMPERIALIA: Propter amplificandum spatium ad negotia publica mercatoriaque deficiens factae, fora haec nova tam Romano foro eis aetate praecedenti similia apparent, quam ab hoc loco funditus differunt. Similitudo in eo cernitur, quod illa sicut hoc longitudinali axe dominante et valde porrecto, ultiro singulam, in Foro Romano ad Capitolium versam directionem habente sunt notabilia. Differentia tamen est hanc dispositionis rationem foris omnibus communem, quae in Foro Romano variis aetatibus et sine ulla designatione unigena se aedificanti parum explicata appareat, in Imperialibus tamen foris, secundum singula architectonica consilia creatis, plene expressam fuisse. Quia unum propositorum, quo Fora Imperialia erant media Urbe expansae et exstructae, fuerat imperii Romani praesentandi atque celebrandi; non igitur incassum haec ingenti magnitudine ac luxuriosae materiae copia praecellebant.

FORUM IULIUM: Eorum autem primum Forum Iulium fuit ortum. In eo ipso propria Foris Imperialibus idea architectonica unius longique axis ad metam quandam fortiter tendentis et fori spatium domantis maxime explicata est. Coepit aedificari anno 54 AC nutu C. Iulii Caesaris ac eiusdem sumptu. Is quoque vir templum Veneris Geneticis, illae deae, quae auctrix generis Iulii opinabatur, procedente Pharsalico proelio (anno 48 AC) ab eo votum, in foro futuro strui iussit. Anno 46, Caesare etiamtunc viventi forum templumque, ambo nondum completa

nihilominus dicata fuerunt; constructionem autem eorum iam Augustus princeps ad finem perduxit. Post restaurationem Domitiani tempore inchoatam forum Traiano regnante (98 – 117), anno scilicet 113 PC denuo dicatum fuit, eodem ad hoc die cum Columna Traiani, tali modo principis novi auctoritatem laudi veteris magnique Caesaris iungendo ac sanciendo et eo ipso augendo. Ultimam suam refectionem Forum Iulium fuit passum iam tempore Diocletiani, post incendium anni 283 PC, quando columnae porticus fuerunt substituae at frons templi opera facta erat.

Bene strata et plana fori area quadrangula magnitudinem 160×75 metra attingebat, videlicet valde porrecta erat ac ideo Forum Iulium latae viae ad fanum Veneris ducenti assimulabat, nomen singuli a Caesare scripti poematis, i. e. „Iter“ (Su, Divus Iulius 56, 5), forma sua monens. A tribus partibus aream hanc gemina (id est cum duplice acie columnarum) porticus circumdabat. Utrique autem lungo lateri singulus tabernarum ordo bitabulatus adiacebat, aetate Augustana ut videtur constructus.

Templum Veneris Genetricis: Peripteron sine postico et octastylon, genere Corinthiacum erat, intercolumniorum autem ratione pycnostylon (Vtr 3, 3, 2). Stabat in profundo foro, characterem appetentis protinus spatii toto foro Iulio proprium suo situ confirmans. Eandem appetitionem spatii et ichnographia templi ostendebat, nam fanum hoc in ultima parte apside cum effigie sacra complebatur et procul producebatur. Extra templum manebant: duea *Timomachi* tabulae Ajax et Medea, Caesare ipso “ante templum” (PM 35, 26) dedicatae (PM 35, 136); in medio foro statua Caesaris equitantis vel solum equi Caesaris, etiam “ante templum” (PM 8, 155). Intus: Venus Genetrix, signum cultui destinatum in supradicta apside positum, opus *Arcesilai*, sculptoris sui temporis praestantissimi, in 46 AD consecrata et festinae consecrationis causa inchoata relicta (Varro apud PM 35, 156); item sex dactyliothecae a Caesare in templo dedicatae.

Eius aedificii parietinae saeculo 16 PC ab architecto italiano A. Palladio emensae atque in libro quarto sui operis de architectura descriptae fuerunt. Relicta templi sunt hodie podii nucleus ex opere caementicio atque ternae columnae Corinthiae super podii nucleo stantes.

FORUM AUGUSTI: Dicatum anno 2 AC forum hoc secundum Fororum Imperialium post Forum Iulium factum est. Quamquam propositum erat, ut locus praecipue ad negotia forensia sit, tamen ab initio suo pro solemni spatio potestatem Romanam glorificante construebatur et fuit. Ichnographice rectangulum et porrectum Augusti forum ad Forum Iulium suo latere angusto adhaerebat. Aream habuit 125×90 aut 110×85 metra. Erat ab omni parte saepto lapideo, circiter 35 metra alto protectum, quod incurvabatur in lateribus fori longis, duas spatiosas exhedras efficiens. Spatium Fori bitabulata ac in eum aperta porticus circumdabat. Omnis hic locus erat marmoribus versicoloribus coopertus stratusque. Notabilia quoque sunt effigies aeneae

triumphatorum Romanorum omnium ab Aenea et ultra, quas Augustus in foro suo posuit, quasque subter marmorea tabula instruens res gestas congrui effecti memorante. Quarum tabularum pars conspicua et hodie exstat. Inter alia opera artis forum antiquitus ornantia notanda sunt praecipue duae tabulae allegoricae *Zeuxidis* manu pictae et Alexandrum Magnum ostendentes. Eas Augustus ipse in foro consecravit, porro tamen, iussu Claudii principis vultui Alexandri Augusti facies in ambobus tabulis substituta fuit.

Pars autem in tota Fori complexione principalis atque intentiam longi axis efficiens erat:

Templum Martis Ultoris: Hoc delubrum anno 2 AC una cum Augusti foro dicatum Octavianus, Iulii Caesaris filius adoptivus et Augustus futurus in proelio ad Philippos, anno videlicet 42 AC, Marti vovit, sperans certamine illo necem patris Caesaris interfectoribus eius et suis adversariis Bruto Cassioque adiuvante deo vindicatam fore. Templum hoc erat peripteron sine postico et generis Corinthii, cum columnis striatis 15,30 metra altis cum dimetienti 1,76 metra, quarum octo priorem aciem pteromatis composuerunt. Cellam columnae in tres naves dividebant. Stabat supra podium rectangulum 3,55 metra altum. Fuit exstructum ex albo marmore Lunensi atque tofo (pro nucleo podii parietumque). Intus durabant duae colosseae statuae, Martis et Veneris, cultui destinatae et una consecrati Caesaris. Ex nomine templi et area tota, qua situm erat, Forum Martis nonnunquam antiquitus appellabatur.

Etiam sub principibus Augustum secutis forum eius nominis immutatum non restat. Tiberius imperio suo (annis 14 – 37 PC) singulos arcus ab utroque latere templi Martis erexit, alterum Druso, alterum Germanico dedicatos eorumque victorias in Germania partas honorantes. Hadrianus (117 – 138) vice sua forum restauravit. Magnificentia fori tam Plinium Maiorem affecit, ut is illud in sua „Naturali Historia“ annis septuagesimis primi saeculi PC scripta inter tria loca totius mundi spectabilissima posuit (XXXVI, 102), quorum alia sint Basilica Pauli (secus Aemilia nominata, v. supra) ac Templum Pacis (v. hic infra).

TEMPLUM PACIS (FORUM VESPASIANI): Aedificari incepit anno 71 PC iussu principis Vespasiani continuo post Hierosolymam ab eo ac Tito, eius filio domatam; anno 75 dicata fuit. Eius areae magnitudo 145×100 metra attingebat. Iacuit ad orientem ab aliis Foris Imperialibus et ad septentrionem a Basilica Aemilia, loco pristini mercatus. Opinione doctorum is locus forum proprie non erat, nam Forma Urbis (scilicet tabula urbis Romae topographica marmorea Templo Pacis ipso in fragminibus nacta) sex ordines notularum quarundam monstrat, quae potissime arbores significant, testatas Vespasiani Templum ad ambulationibus et alterius generis otio factum fuisse. Spatium hoc extensa porticus columnis ex granito rubro fultae et, a parte exteriori, murus altus circumdabant. Intus autem erant Templum Pacis sensu proprio, id est aedificium eius, bibliothecae duae, altera fortasse Romana, altera Graeca, atque magna copia multifariorum operum artis, inter quibus:

sculptura: Fluvius Nilus ex lapide nigro, in speciem nudi et barbati viri semiiacentis, sedecim infantibus circumdati (PM 36, 58); Venus, opus quem Plinius Maior (36, 27) fama veterum artis Graecae magistrorum dignum esse existimavit, quamquam ignoti artificis; atque pictura: tabula *Timanthe* Heros (PM 35, 74); ex *Protagonis* operibus tabula nobilissima, Ialissos nomine (PM 35, 102); item *Nicomachi* Scylla (PM 35, 109).

Inter alia in Templo Pacis servata res sacrae Templi Hierosolymitani, ex praeda Vespasiani Titique in triumpho eorum solemniter portata atque etiam iam hic memorata praeclara Forma Urbis, id est species Romae cartographica durabant.

FORUM NERVAE: Haec area publica quamquam iam a Domitiano cogitata et exstructa fuerat, sed a subsequenti principe Nerva anno 98 PC erat dicata et nomine eius appellata est.



Occupavit spatium vici Argiletum inter duo fora, Vespasiani (v. *Templum Pacis*) et Augusti, antea iacentis ac Forumque Romanum cum infami egenteque parte Urbis, Subur(r)a iungente. Ob loci electi proprietatem forum hoc angustum, etsi longum, 45×120 metra, factum est. Ob eandem causam non habuit satis spatii ad porticus foris solitas, quibus singula acies columnarum ad tofinum (ex *peperino*) murum saepientem maxime appropinquantium et proiectiones trabeaturae solum nec tectum hic absentem fulcientium ab utroque longiori latere substituta erat (quae columnae aetate medioaevali cognomen italicum «le Colonnacce» adeptae sunt). Par columnarum inter reliquia fori etiam hodie in situ exstat. Hae sunt Corinthiae genere et striatae exque marmore albo factae. Supra columnas trabeatura superest, cuius trabem superiorem

argumentum caelatum de certamine Minervae et Ariadnae decorat, ac superius cenaculum cum caelata imagine Palladis plene armatae videtur.

Quae imitationis materia nullo modo est fortuita in Foro, quod Domitianus exstruxit . Nam Minerva Domitiani aetate principis huius patrona caelestis declarabatur. Etiam res in foro principalis, id est templum in profundo foro positum, illi deae consecrata erat. Hoc fanum super podio scalis in fronte instructo stabat. Eius omnes columnae externae cellae antepositae fuerunt, spatirosum (sex columnae frontales atque trinae ab uterque latere) pronaon efficientes. Interiora autem cellae apside in postica parte producebantur et duobus columnarum ordinibus in tres naves dividebantur.

FORUM ET MERCATUS TRAIANI: Omnia Fororum Imperialium ultimum, sumptuosissimum et maximum fuit id constructum inter annos 107 et 113 PC ex copiis praedae, quam Traianus princeps in bello Dacico ab illo prospere gesto adeptus erat. Aream 300×185 metra occupavit. Ad terrenum constituendi eius gratia explanandum ingens moles terrae, brachia Quirinalis et Capitolii inter hos colles iacentia includens, remota fuit, quomodo impedimentum Fora Imperialia prius a Campo Martio separans evanuit. Formam fori descripsit ac eum aedificavit architectus Traiani illustrissimus Apollodorus Damascenus, qui antea principem in bello Dacico pro aedificatore militari comitatus erat, unde et proprietates castrenses in fori ichnographia ortae sunt.

Traiani forum latere suo meridionali angustoque Foro Augusti adiacebat. Oblongum illius spatium aedificio basilicae sublimis et splendidae, ex transverso positae interrumpebatur. Pars fori a basilica ad meridiem vergens erat spatum apertum ac ab utroque latere porticibus ornato singula exhedra distentum. In medio spatio effigies aenea Traiani equestris errigebatur. Cuius baseos reliquiae in cursu effossionum recentiorum inventae ostendunt hoc signum colosseum, circiter quindecim metra altum fuisse. Eaedem effossiones vestigia templi prope fori marginem Foro Augusti conterminam aperuunt. Hoc templum illud Hadriano exstructum et in fontibus commemoratum fanum Divi Traiani ac Divae Plotinae, uxoris eius hodie doctis expertis fuisse habitur. Huius fani relicta antea in fine fori septentrionali, oppositi videlicet, inveniri sperabant, sed in vanum. Interim in spatio Fori meridiano etiam fragmina statuarum, quae in memoriam facinorum Traiani Dacos captivos monstrabant, archaeologis inventa sunt. Placet illae statuae quoque Dacorum captivorum adhuc supra caenaculum Arcus Constantini (apud Amphiteatrum Flavium) constantes ex Foro Traiani ortas esse.

Basilica erat ex nomine gentilicio Traiani Ulpia nuncupata. Ad eius angustum latus utrumque spatirosae apses adiunctae erant. De hac basilica numerosae columnae ex granito sculptae adhuc restant. Pone basilicam Columna Traiani (v. hic infra) in axe fori principali est posita, quam ab utraque parte aedificia bibliothecarum duo, alterum ad Graecos, alterum ad

Latinos libros, comitata erant. Ultra ad septentrionem unum etiam spatium quadrangulum, quamquam area minus, expandebatur. Quo novissime relicta signi colossei Constantini Magni inventa sunt.



Columna Traiani: Aetate regni M.

Ulpia Traiani exstructa fuit, ut eius principis et imperatoris gloria bellica celebrata et aeternitati tradita esset. Hoc monimentum hodie in loco suo pristino manet, ubi est positum anno 113 post basilicam Ulpiam et ante templum eiusdem principis, disadnumerati. Illa columna triumphalis generis Dorici ex marmore albo facta simul et sepulcrum erat; in eius enim basin inclusa aurea arca cum cinere principis requiescebat. Summam vero columnam Traiani statua supra cumulabat, donec anno 1587 in eius locum statua Sancti Petri substituta fuisse, qui etiamnum ibidem stat. Altitudo columnae, una

cum sua basi quinque metra habenti, 39 metra explet. Scapum eius immanem ab immo usque ad summum quasi fascia lata, 200 m. longitudinis, caelatis figuris abundans, helice redimit et omnem cooperit. Argumentum, his figuris traditum, est bella victoria, quae Troianus bis (annis 101 – 102 et 105 – 106) in Dacia gessit. Basis cubica ornata est sertorum caelatis imaginibus et longa inscriptione dicatoria.



Mercatus Traiani:

Quamquam Traiani Mercatus sint extra muros Forum Traiani saepientes dispositi, tamen condicionibus ortus sui atque forma complexionem unam cum huius partibus efficiunt. Ichnographice apparent ut curvatura, cum muro exhedram fori orientalem et ad Quirinalem versam cingenti

parallela. Dictam exhedram via strata solum de Mercatibus separabat. Hi ex lateribus (olim

marmore tectis) exstructi sunt. Plurima tabulata cum tabernis conclavebusque numerosissimis atque mesaulis habuerunt, quorum pars magna adhuc superest. Mercatus hi fuerunt aedificati non solum pro mercatura, sed etiam ut oram Quirinalis, quae remotae terrae causa ardua facta sunt, sustineant. Extantes hodie in partibus suis principalibus Mercatus Traiani visitatoribus aperti sunt.

Post Romani imperii casum Fora Imperialia sine cura et praesidio in saeculis subsequentibus restabant. Vigesimalis tamen annis saeculi vigesimi, tempore videlicet Mussolini, una cum aedificatione viae novae lataeque per aream antiquam Fororum Imperialium transientis et ad pompas fascales destinatae, incipit inquisitio monimentorum in lucem prolatorum, quae ceterum paulo post desinit. Vera autem investigatio ruderum eo loco apparentium ac insimul eorum restauratio dactrinae rationi conveniens non ante annum 1995 initium suum capiunt, et ad hoc etiam cum proposito hanc aream post finem laborum in hortum archaeologicum visitatoribus apertum verti.

VELABRUM, FORUM BOARIUM et CIRCUS MAXIMUS

FORUM BOARIUM:



Arcus Argentariorum seu

Monumentum Argentariorum: Hoc principi L. Septimio Severo eiusque necessariis dedicatum aedificium fuit anno 204 PC in loco, quo Vicus Iugarius Velabrum transgressus in Forum Boarium incedit, sumptibus argentariorum et negotiantium boariorum in vicinitate mercaturam facientium erectum. Arcus tamen Argentariorum non arcus sensu proprio putari esse debet, sed portam, cetero separatim stantem; etenim eum trabeatura librata et non fornix ut veros arcus tegit. Fronto sua sumptuose decorata versa est ad meridiem, videlicet ad Forum Boarium, sedes dedicatorum eius; pars autem aversa rudis relicta est. Arcus 6,8 in altum habet, in latum autem 5,86; latitudo transitus 3,3 metra aequat. Bases utriusque pilarum ex Tiburtino lapide compositae quum aliae partes aut ex marmore factae sunt sicut trabeatura aut marmore crustatae sicut pilae.

relicta est. Arcus 6,8 in altum habet, in latum autem 5,86; latitudo transitus 3,3 metra aequat. Bases utriusque pilarum ex Tiburtino lapide compositae quum aliae partes aut ex marmore factae sunt sicut trabeatura aut marmore crustatae sicut pilae.



Superficies Arcus est omni parte praeter posticam caelaturis locupletissime ornata. Quodque ornatum latus pilarum est binis parastadibus genere compositis marginatum, quas inter diversae imagines caelatae sunt per tria cingula distributae. Cingulum superius inter capita parastadum extenditur et est altitudine sua eis aequum, cingulum autem inferius ad illum fere locum parastadum subrigit ubi entasis columnae hic absens inveniri debet. Ex quo efficitur cingulum medium omnium trium altissimum esse; idem et imagines argumentis gravissimas in se includit. Quae sunt:

1) in latere parastados orientalis ad transitum verso Septimius Severus uxorque sua Iulia Domna ad aram sacrificantes et quidam etiam eos comitatus, cuius figura erat iam antiquitus abrasa, fortasse Geta, L. Septimii filius occisus anno 212 AC fratre suo Caracalla plenae potestatis arripiendae causa et post mortem damnationem memoriae passus, quae destructionem omnium mentionum publicarum significabat; effectorum autem vultus ad spectatores versi sunt;

2) deinde contra, in latere oposito alterius pilae ipse Caracalla sacrificans cum duobus figuris abrasis, vel uxoris eius Fulviae Plautillae occisae Caracalla anno 211 AC et eius socii C. Fulvii Plautiani suspicati de proditione et occisi anno 205 AC, Septimio Severo etiam vivente;

3) item figura in curta tunica frontem columninis occidentalis ornans, etiam ea fortasse Caracallam ostendens;

4) denique in laterali et extrinsecus versa parte huius columninis imagines militum Romanorum duorum barbaros captivos ducentium.

Cingulum summas pilas circumdans ex caelaturis constat, quae apparationem et supellectilem sacrificii monstrant, quum inferius cingulum boves ostendit ad aram ductos. Scapi autem parastadum tria cingula in separatas tabulas dividentium sunt etiam opime exornati: 1) signis militaribus (in fronte) et 2) voluminibus acanthi. Trabeatura in fronte Arcus inscriptionem dedicatoriā habet ter, id est post occisiones Plautiani, Plautillae ac tandem Getae, immutatam. Quam duas tabulae caelatae comitantur: Altera Herculem cum clava et leonis pelle ostendens, altera genium alatum. Aenea signa hodie non extantes erant primitus supra arcum posita. Latus Arcus orientalis est a Mediis aevis ineuntibus usque ad nostram aetatem in parietem contiguae

ecclesiae Sancti Georgii (*San Giorgio*) in Velabro instructum. Pars autem Arcus inferior unum metrum circiter in profundum etiamnunc sub terra occultatur. Quoad ceteras partes monumenti, hae sunt hodie in satis bono condicione servatae.



Templum Herculis

Victoris (seu Invicti):

Aedificium ichnographice rotundum. Secundum traditionem veterum fuit hoc templum una cum signo aeneo Herculis triumphalis ab Evandro consecratum. Saeculo II AC denuo constructum et in genere Corinthio informatum fuit. Est primum aedificium

Urbis ex marmore factum .Cellam eius rotundam viginti columnae extrinsecus circumveniunt. Caellae paries depinxit eodem saeculo poeta Romanus non ignobilis *Marcus Pacuvius*, cuius opus illud pictorum Plinius Maior (35, 19) illustre vocat. Placet hoc templum idem esse, quod hodie in loco sub nomine *Piazza della Bocca della Verità* noto (scilicet fere antiqui Fori Boarium) stat et iam dudum *Tempio di Vesta* (Templum Vestae), sed quoque *Tempio Rotondo* (Templum Rotundum) vocatur. Tempore Christiano ecclesiam in se continuit, quam ob rem conservatum est comparative bene: de antiquis partibus eius principalibus tantum partes supra columnas ponendae absunt.

Templum Portuni: Portuno, divinitati marinae, portibus faventi consecratum, fuit hoc templum in Foro Boario situm, prope Pontem Aemilium (hodie *Ponte Rotto*) ac portum Tiberinum, paulo ad septentriones ab Templo Herculis Victoris (v. s.). Constructum est saeculo I AC ex tofo et lapide Tiburtino gypso cunctis, in modum pseudoperipteron cum quattuor columnis in fronte et genere Ionico. Nunc in pristino loco stat et unicum antiquae Urbis templum est, quod fere incolume adhuc esse dici potest. Notum est quoque sub usitato, sed falso nomine Templi Fortunae Virilis.

CIRCUS MAXIMUS: Formam habet tetragoni valde oblongi cum rotundatione extremitatis angustae, qui inter septentriones et occasum solis spectat. Tempore suae maximae extentionis aream occupavit 600×150 metra. Situs fuit in valle inter duos montes, Aventinum et Palatinum, iacente. Ante Circum Maximum exortum, numina terrena ac subterranea, ad agri culturam pertinentia illius loco adorabantur, imprimis Consus, copiarum frumenti deus, iam Romulo regente adoratus eo loco et postero tempore Neptuno adaequatus. Ibi illius dei delubrum

sub terra occultabatur et ibidem bis in anno sacra eius celebraabantur, Consualia vocabulo, quorum proprietas erant cursus equestres circa aedicula et altaria numinum, eo tempore saeptis ligneis cancellata.

Primas spectatorum sedes in clivis amborum collium uterque Tarquinius, ut refert traditio, construxit. Prima in Circu opera, fortasse lignea, carceres fuerunt, scilicet cellae, quibus inclusi aurigae et iuncti curribus equi, iam plene prompti, initium curriculi expectabant; constructi fuerunt carceres anno 329 AC (L 8, 20, 1). Postea, in opposito Circi extremitate, ad ortum solis brumalem spectante et rotundata Lucius Septimius anno 196 AC arcum triumphalem statuit, signis inauratis adornatum, per quem auriga victor solemniter invehebatur. Ea fere aetate spina edificata fuit, super quem attolluntur altaria et aediculae prius in loco sitae, quo postridie spina fit. Sunt in spinam quoque signa varia positae, veluti supra communem basin stantes effigies Seiae, Segestae et Tutilinae, trium dearum agrestium. Tunc etiam ad ambas spinae extremitates metae ponuntur. Anno 174 AC carceribus pristinis novi carceres substituuntur. Saeculo subsequenti, anno 46 AC C. Iulius Caesar Circum in utramque partem extendit et curriculum (id est viam ad cursus, in se reversam) fossa aquaria circumdat.

Ultimam suam rationem Circus tantum Augusto principe regente invenit. Secundum Dionysium Halicarnensem (3,68; scripsit id anno 7 AC) sit is circus unum de excellentissimis monumentis Urbis; longitudo eius tres semis stadia (644/621 metra), latitudo quattuor plethra (123/118 metra), fossae latitudo et altitudo decem pedes (circa tres metra) expleant; sedes spectatorum dispositae sint in tres tabulationes, quarum inferior lapidea, duae superiores autem ligneae sint, sedium numerus totus centum et quinquaginta milia sit; item extrinsecus Circi aedificium porticibus, unam tabulationem habentibus et tabernas continentibus, cingatur. Augusti tempore non solum carceres, tamen etiam spina, cuius longitudo trecenta et quadraginta quattuor metra tunc erat, lapidea fiat.

Circus autem intus (cum spina atque carceres) et forsitan extrinsecus marmore contegitur. Denique in clivo montis Palatini cubiculum imperatorium exstruitur. Tamen res tunc in eo circu praecipue nova et prius vere inaudita obeliscus Aegyptiacus fit. Is exeunte saeculo XIV aut ineunte XIII fuit nutu regis Aegyptiaci Seti (domus regia XIX) ex granito roseo sculptus, altitudinem 85 et tres partes pedes (plus quinque et viginti metra) eo tempore habens et Heliopoli (quae in Aegypto), in Solis templo ab Ramses II positus, fuit anno 10 AC iussu Augusti, simul cum alio obelisco (v. i. Solarium Augusti), Romam translatus (cf. PM XXXVI, 71; hi ambo primi obeliscorum fuerunt Romam ex Aegypto invectorum). In Circu autem supra spinam positus accipit obeliscus novam basin cum duobus titulis dedicatoriis latinis.

Post incendium anni 64, quod eo loco initium cepit, restauratus Circus Maximus ab Nerone principe est. Anno 81, in loco arcus Lucii Septimii, Titi principis arcus instituitur, cuius

fundamenta adhuc restant. Domitiano annis 81 – 96 regente Circus Maximus deletur incendio, sed ab Traiano, inter annos 100 et 104 ex toto restituitur, suum maximum splendorem tunc attingens. Magna restauratio temporis Constantini numerum sedium prope altero tanto auget: illius temporis Regionaria saltem trecenta et octoginta quinque milia indicant. Ultima immutatio formae, quae Circo magni momenti est, accidit anno 357, quo Constantius II instituit in spina ingentem (altitudo 32 metra, pondus 460 t) obeliscum Tuthmosis III (annis 1490 – 1436 AC, domus regia XVIII) ex Thebis Aegyptiis evectum, altissimum et simul postremum obeliscorum, Romam ex Aegypto evectorum. Ludi ex memoratis in fontibus ultimi anno 549 dantur. Neglectus postea Circus paulatim dilabitur.

Fractus in tres partes obeliscus Augusti, in situ inventus, anno 1589 restauratur et statuitur in Colle Equino (*Monte Cavallo*) in Foro Populi (*Piazza del Popolo*) in Roma hodierna; altitudo eius post restorationem 23, 91 metra, pondus 235 t sunt. Obeliscus ab Constantio positus, nanctus fuit quoque in Circi ruinis et fractus in tres quoque partes, sed duobus annis ante, anno videlicet 1587 et subsequente instituitur in Foro Laterani (*Piazza del Laterano*), ante Basilicam Sancti Iohannis (*San Giovanni*) in Laterano. Effossiones archaeologicae recentes revelaverunt indicatas in fontibus litterariis dimensiones Circi falsas esse. Ut in praesenti clare est, erat Circi capacitas temporibus Augusti 55–60 milia sedium, Traiani aetate 90 – 95 milia, Constantini 180 – 190 (aut 140) milia, areae autem magnitudo 600×150 m (9 ha). Etiam nunc Romae de Circo Maximo vasta et animos afficientia rudera supersunt.

MONS ESQUILINUS:

Domus Aurea Neronis: Sic antiquitus est nominatum Neronis principis habitaculum mirifice sumptuosum, super vastissimam aream inter Palatinum Hortosque Maecenatis expansum et secundum dispositionem rationemque ut villa urbana finiri potens. In media villa stagnum latissimum effossum et aqua expletum fuit, oram habens portubus ad naviculas et naves ornatam, at circum loca amoenissima aperiebantur ut prata florentia, vineta nemoraque, ambulationes umbrosae ac aediculae variae. Plinius Maior (XXXVI, 163) tradit fanum Fortunae cum parietibus traluentibus ex raro lapide, quem ille phengitem appellat, alicubi intra confinias Aureae domus aedificatum fuisse.

Haec domus illum locum etiam occupavit, quo prius aedificia Domus Transitoriae, Neronis regiae incohatae ac famoso incendio anni 64 PC dodrantem Urbis consumenti destructae errigebantur. Opus erat architectorum Celeris et Severi sicut Tacitus (Annales XV, 42) ait. Immane Domus vestibulum statuam ingentem famosamque postmodo Colossum (v. supra) appellatam et ipsum Neronem effingentem continens in media parte frontis latissimae patebat. Magni pretii lapides, ebur gemmaeque et aurea folia (ex quibus nomen Aurea domus oritur)

oecos et conclavia palatii sumptuosissime ac uberrime exornabant. Auctore Suetonio (Nero 31, 2) notabile erat praecipue magna cenatio rotunda laqueato tholo contecta, qui machinarum occultarum vi perpetuo vertebatur sodales deorsum florum foliis et unguentis ex foraminibus suis perfundendo. Ex Plinio Maiore (XXXV, 120) scimus interiora Domus depicta fuisse manu Famuli (seu fortasse Fabulli, ut in manuscriptis nonnullis invenitur), cuius artem ille captivam palatii putabat, hoc ut exemplum imperfectionis picturae parietariae praetendens (Ibid. 118).

Immensitas terreni Domo occupati civium Romae indignationem incitavit in his versibus a Suetonio (Nero 39, 2) traditis expressam:

Roma domus fiet: Veios migrate Quirites –
Si non et Veios occupat ista Domus.

Odium Neronis in Romano populo tantopere saeviebat, ut Vespasianus post illius interitum princeps factus Domus Auream ut invisum documentum tyrannidis dirui iussit. Ideo stagni loco praedicti Amphitheatrum Flavium oritur, evanescunt quoque multa alia opera Domum ornantia. Neronis tamen palatium erat tam extensem, ut cito deleri nequaquam potuit. Namque pars eius haud valde conspicua, Cryptoporticus Neronis nomine, id est transitus fornicatus et pariete ab utroque latere opertus, sed fenestellis sub fornicibus instructus, in Palatino etiam hodie restat et relicta depictionum albariorumque figmentorum supra suos parietes conservat. Colossus quoque (v. supra) ut relictum Domus Aureae spectabilissimum, etsi ex loco suo primori in vestibulo destructae Domus aetate Hadriani hic fanum Veneris Romaeque construi proponentis in propinquitatem Colossei transportatus, fere integer longissimum tempus exstitit.

Tamen pars complexionis, quae pro temporum posteriorum arte necnon pro doctrina hodierna arti antiquae dicata maximi ponderis est, illa Domus aedifica, quae sub ruderibus Thermarum Traiani in colle Oppio inventae sunt, merito putantur. Hae ordinem longum variarum aedium ab orienti ad occidentem porrectum et medio suo magnum altumque octagonalem oecum habentem efficiunt. Oecus hic erat patulo, sed etiam adhuc in priore loco manente tholo cum lato oculo (id est foramine a structoribus pro illuminatione in vertice relicto), dimetientem circiter sex metra habenti cooperitus. Parietum nucleus ex lateribus est factus et primitus marmore atque aliis materiis speciosis, post Neronis tamen mortem ablatis, vestitus.

Parietes et fornices aedium ab utraque parte oeci locatarum erant olim picturis et figuris plasticis secundum sensum artis Pompeianum quartum excogitatis opime splendideque decorati, hodie tamen sola vestigia ornatus illius modica in situ videri possunt. Proprietas decoraminis in parietibus fornicibusque Domus inventi est abundantia imaginum incredibilium atque mirabilium, suis formis mixtis leges naturae animantis at sua dispositione legem gravitationis consulto neglegentium. Inter haec portenta faceta sunt argumenta diversa implecta, ex fabulis

epicis, de bello Troiano praecipue, sumpta et in fornicibus ex solito locata. Eorum nonnulla nomen suum aedibus, in quibus inveniuntur, dederunt. Exempli gratia memoro Oecum Hectoris et Andromachae (*Sala d'Ettore e Andromaca*), in cuius fornice discessus primi herois Iliaci ab uxore sua est pictus, atque Oecum Achillis in Scyro (*Sala di Achille a Sciro*), cuius pictura vehementis motionis plena cognitionem Achillis puellari modo vestiti ab herois Graecis ostendit. Denique Oecus cum Fornice Aurato (*Sala della Volta Dorata*) est hic dignus memorandi propter figmentorum suorum gypseorum versicolorumque copiam.

Alia res una cum predictibus decoramen Domus Aureae notabilem faciens est musivum, cuius relictia illic in fornicibus reperiuntur. Nam relictia haec testantur aut primam notam aut fortasse primam revera adhibitionem musivi in summis aedibus, quae in interioribus ecclesiarum mediaevalium et imprimis Byzantinarum divulgata fit.

In Neroniani palatii parietibus aediculae quoque pro statuis collocandis instructae etiam nunc etsi vacuae videri possunt. Signa autem illas aediculas primitus ornantia et praestantissimis artificibus Helladicis effecta a Nerone ex Graecia pro voluptate sua fuerant erepta (PM XXXIV, 84). Mortuo Nerone monimenta haec spectabilissima Romae restabant, tamen tunc ad publicum conspectum in Templo Pacis (v.) exposita fuerunt (*Ibid.*). Postquam Traianus thermas publicas in loco palatii aedificari iusserat, eam tamen ille non omnino diruit: duo maxime tabulata superiora fuerunt ablata, tabulatum autem primum terra obrutum inque thermarum substructionem firmam conversum fuit et in hac condicione multa saecula manebat.

Longe humo occulta ac tantum exeunti saeculo quinto decimo PC forte fortuna inventa palatii relictia fiunt sine mora propositum diligentissimis studiis artificum italicorum, quos inter ipse Raphael (*Raffaello Santi*) invenitur, penetrantium in cavernas subterraneas (italicice *grotti*) ut descriperint imagines parietariae (*grotteschi*) ibi in facium luce visas, quae tamen erat illo tempore multo melius conservatae ac hodie. Genus decoraminis picturalis ex his studiis ortum et aeque *grotteschi* vocatum in arte exeuntis quinti decimi et sexti decimi saeculorum late propagatur; exemplum clarissimum praesentant Porticus Raphaelis (*Loggie di Raffaello*) in Vaticano dispositae ac artifice eo cum eius discipulis depictae. Ipsum vero illius Domus decoramen est humiditatis causa magnum detrimentum saeculis post eius inventionem praeteritis passum et nunc est propemodo omne conservandi gratia clausum et visitatorum aditu carens.

Thermae Titianae sive Thermae Titi: Balnea haec fuerant ad annum 80 PC, iussu Titi principis (annis 79 – 81 regnavit) et omni festinatione exstructa, ut cum vicino eis Amphitheatro Flavio simul dedicata essent (Su, Tit. 7: amphitheatro dedicato thermisque iuxta celeriter extuctis munus edidit apparatissimum; M, Spect. 2: velocia munera thermas). Erant locata proxime Thermis Traianis (quae antiquitate exacta et usque ad ineuntem saeculum undevicesimum ideo pro Thermis Titi, posterius quamquam factae, falso habebatur), in

proclivitate meridionali collis Oppii et ad amphitheatum dictum versa. Thermarum Titi cito constructio inde fuit possibile, quod erat proprie dictu restructio vel etiam refectione pristinarum thermarum Domus Aureae (v. hic supra) Neronianae, qua de re tanta illarum cum Thermis Neronis (v. infra) similitudo videri potest.

Effossiones vicesimo saeculo exeunte peractae monstraverunt Thermas Titi in variis terreni gradibus manufactis et secundum proclivitatem collis effectis dispositas fuisse. Thermae aream paene rectangularam, amplitudine autem 125×120 metra attingentem occupabant et secundum cardinem (scilicet ad septentrionem a meridie) extendebantur. Hic diverse a Thermis Neronis principalis introitus erat in latere meridionali apertus, oculus vero maximus fuit in medio partis septentrionalis locatus et comitatus utrimque peristyliis haud magnis, quem frigidarium ex meridionali fine aedificii proicebat. Denique latae scalae ad aream Amphitheatri 18 metris inferiorem et stratam ducebant, ubi sunt vestigia porticus scalis fortasse ad ostium Thermarum ab imo ducentibus praepositae archaeologis inventa.

Ampla rudera Thermarum in situ etiam sexto decimo saeculo manebant. Quo ineunte pontifex Iulius II (regnavit annis 1503 – 1513) magnum labrum ex granito, anno etiam 1450 Thermis visum, in Vaticanum transvexit, quod opus antiquum ibi adhuc in Cavaedio Belli Conspectus (*Cortile di Belvedere*) manet. Post autem saeculi dimidium labrum alium, ex porphyrite effectum in his ruderibus ab Ascanio Columna (*Colonna*) fuit inventum et papae Iulio III (regnavit annis 1550 – 1555) traditum; hodie in Aula Rotunda (*Sala Rotonda*) Vaticani exponitur. Thermae etiam postea spoliabantur, exempli gratia anno 1590 pro ornato aedium lateralium in ecclesia Iesu (*Il Gesù*) Romae.

Eodem quoque saeculo sexto decimo architectus italicus praestantissimus Andreas Palladius (Andrea Palladio) Thermas delineavit ac eo ipso principale et fere unicum testimonium eius monimenti (hodie in Devonio Thesauro [*Devonshire collection in Chatsworth House, Derbyshire*] custoditum) posteritati reliquit; rudera enim fuerunt subsequente tempore omnino destructae at indicia archaeologica sunt nostris diebus exigua.

Thermae Traianae sive Thermae Traiani: Hae thermae sumptuosae et ingentes sunt primum exemplum thermarum magnarum laudi Romanae architecturae valde contribuentium. Sicut notae laterum testantur, fuerant constructae annis Traiani regentis, post annum scilicet 104 PC, anno autem 109 eorum dedicatio evenit. Thermarum aedificator fuit architectus temporum Traiani praestantissimus, *Apollodorus Damascenus* nomine et ortu.

Thermae disponebantur in meridionali clivo collis Oppii (ad montem Esquilinum pertinentis), partim super obrutis terra ac ut fundamenta servientibus parietinis Domus Aureae, haud procul ab Amphitheatro Flavio et ad Thermas Titianas proxime. Thermae Traiani ea proprietate novae fuerunt, quod earum aedificium balnearium, fronte sua inter septentrionem et

orientem at parte sua postica, caldario se proiicienti instructa, inter meridiem sane et occidentem spectans, sic versum fuit, ut caldarium quam maxime solis radiis illuminaretur quamque minime calorem ammitteret at interiora aedificii ventis benignis optime perflarentur.

Thermarum aedificium erat in cavaedium inclusum, cuius terrenum ichnographiam rectanguli habuit quinque projectionibus exhedrarum magnarum (duo in fronte, singuli in lateralibus partibus et una maximaque in parte posteriori) amplificati et eis respectis extensionem 330×315 metra habenti. Totam complexionem praeter aedificii frontem viae (Vicum Sabuci appellatam) apertam altus peribolus cingebat.

Solutum visitatoris in Thermis curriculum tale erat: Ille de via per magna propylaea recte in locum natationem nominatum incessit, quem ampla piscina sub Iove iacens occupabat, atque dehinc aliquo duorum itinerum lateralium et speculari modo similium, scilicet per apodyterium, oecum rotundum et palaestram, transiit posteaque in caldarium axem medium aedificii confecientem deflexit, ubi lavationem ipsam inchoavit. Deinde gradatim retro ad ostium venit, ex calidioribus in frigidiora loca se transferens, id est primo in tepidarium, item in frigidarium, quod erat magna et sumptuosa basilica, et postremo rursus in natationem, in cuius piscina poterat ad libitum natare. Balneari aedificio relicto visitator Thermarum in cavaedium venit, ubi ambulandi atque bibliothecas, gymnasia necnon theatrum visitandi facultas eo praebita erat. Theatrum autem in postica parte cavaedii locum habuit; illius cavea semicirculo maximae exhedrae circumscripta fuit. Denique omnem Thermarum luxuriam, sicut in multis aliis Romanis thermis, magna copia operum artis amplificabat et conficiebat, quod eventa effosionum et inventa fortuita in loco monumenti facta partim ostendunt.

Vastatio Thermarum post annum 537 PC initium cepit, quo Urbem obsidentes Ostrogothi aqueductus Urbi aquam praebentes destruxerant. Tamen destructio monumenti quum aevis mediis tum longe posterius lenta et minima restabat, collis enim Oppius relictus incolis fuerat et vineti occupatus. Antiquitate exeunti erant thermae hae Domitiani appellatae, nam eius aetatis scriptores principem Domitianum pro Thermarum auctore computabant. Quae nomen suum proprium paulo post recuperaverunt, nec tamen in perpetuum, etenim saeculo XVI falsum nomen Titianarum eis nuncupata fuit.

Eodem saeculo, anno scilicet 1506 marmoreum signum mox vehementer nobilitaturum, tunc autem valde laesum fractumque et Laocoontem cum filiis ex mortiferis serpentium complexibus liberari nitentem ostendens a possessore vineti in area Thermarum forte inventum fuit. Inde Michael Angelus (*Michelangelo Buonarroti*) statuarius a pontifice Romano Iulio Secundo illuc misus et una cum eo architectus Iulianus de Sancto Gallo (*Giuliano da Sangallo*) haud cunctanter in locum id pervenientes signum pro opere praestantissimo aestimaverunt at Iulianus de Sancto Gallo insuper in eo illud simulacrum discrevit, quem Plinius Maior (XXXVI, 37)

memorat, dicens se eum in domo Titi principis (quae in Oppio erat) vidisse. Nimirum est auctoritatem Plinii, scriptoris enim veteris, in eo figmento, quod ad sensum artis hodiernum ambitiosum nimis et inflatum videtur, “opus omnibus et picturae et statuariae artis praeferendum” (*Ibid.*) laudantis commotionem in erudita societate momento excitavisse. Ipse papa Iulius nulla mora opus hoc empserat, quod post restaurationem a Michaelis Angeli discipulo Montorsolio (*Montorsoli*) ex anno 1523 effectam in Cavaedium Signorum (*Cortile delle Statue* hodie *Cortile Ottagono*) in horto Vaticani, qui Bellus Conspectus (*Belvedere*) appellatur, collocatum est.

Oppinio, quae olim Iulianus de Sancto Gallo de identitate signi nancti elocutus est («*Questo è Hilaconte di cui fa menzione Plinio*», sicut filius Iuliani Franciscus in sua epistula anni 1567 patris verba tradit), etiam adhuc inter doctos homines antiquitatis peritos praevalet. Docti hodierni oppinionem quoque ipsius Plinii accipiunt affirmantis eodem loco, ut creatoris operis erant “summi artifices Hagesander et Polydorus et Athenodorus Rhodii”. Figmentum enim hoc proprietatem statuariae scholae Rhodiensis, quae temporibus hellenismi floruit, clare ostendit, scilicet animi concitatio vehemens in motu corporis variato potentique et in vultus argutias expressa. Tamen Montorsolii restauratio tempore nostro falsa plerumque rata est, ac inter annos 1957 et 1960 partes nonullae prius pro amissis additae, scilicet bracchia dextra patris et filii scaenice sursum porrecta, ablatae sunt. Contigit restauratori ad hoc etiam bracchium Laocoontis vetus verumque, quod anno 1905 archaeologus quidam forte fortuna invenit, in pristino loco restituere. Quod membrum in cubito inflexum est ac ideo simulacri adumbrationem manifeste immutat. Hodie signum Laocoontis est 2,42 metra in altum et in Museo Clementino Museorum Vaticanorum (in Cavaedio Octangulo seu *Cortile Ottagono*) durat. Locum autem eius antiquum placet Thermae Traiani, sed antea Titi domum in Oppio at etiam prius fortasse Domum Auream fuisse.

Solum tamen Thermarum post repertum Laocoontem exhaustum non fuit. Anno enim 1547 in eodem terreno quinque et viginti statuarum pro cardinali Trivultio (Trivulzio) inventae fuerunt. Etiam aedicia Traianarum Thermarum ad se tunc animos attrahebat. Multi enim pictores et architecti saeculis XVI et XVII hoc monumentum delineabant ac dimetiebantur. Pars maior materialium ab eis relictorum inciderat posterius cum collectione Detaglierii (*Destailleur*) in Museum Elegantis Artificii (*Kunstgewerbemuseum*) Berolini et fundamentum ad Thermarum Traiani mentalem reconstructionem scientificam una cum Forma Urbis conformavit. Nam saeculo XVIII exeunti Thermae ipsae fuerunt fere omnino deletae. Reliquia autem separata etiam hodie in colle Oppio videntur. Effossiones tamen ibi nequaquam sine fructu efficiuntur. Exempli gratia memoro inventa nuper musiva, alterum magnum (5×6 metra) venationem leonum ostendens, alterum cum atris imaginibus in area alba, ex minutissimis tesseris composita et

militem monstrans, qui palmam victoris tenet et secundum inscriptionem supra capitem eius Cupidinem allegorice signat.

Porticus Liviae: Quadriporticus Augusto principe in proclivitate septentrionali Oppii, inter Traianas Thermas et Clivum Suburanum aedificata. Inchoata anno 15 AC, completa autem et Liviae, uxori Augusti dedicata anno 7 AC.

Porticus Liviae rectangulum conformabant 115 metra in longum et 75 in latum, communis pariete extrinsecus et gemino ordine columnarum intus ornatum. Cuius rectanguli latera longa ternis exhedris, quarum singulae mediana erant quadratae, binae vero aliae semicirculare, ornabantur. Item una exhedra semicircula meridionalem porticum propagabat, quum in porticu septentrionali ostium patebat scalis viginti metra latis et ad Clivum Suburanum ducentibus praeditum. Denique extantes Formae Urbis fragmina quandam structuram in media Porticum area ostendunt, aut aquam salientem aut Livia ibi constructam Aedem Concordiae fuisse potentem.

Porticus Liviae erant Urbis frequentissimae praeter illas in Campo Martio dispositas. Ultimum sunt commemoratae saeculo quarto PC in Notitiis (Reg. III). Earum reliquiae adhuc non repertae sunt.

MONS CAELIUS:

Templum Divi Claudi: Anno 54 PC, Claudio mortuo et deificato vidua huius Agrippina Iunior extentam structuram cultui defuncti mariti sui destinatam in parte occidentali Caelii montis erigi iussit. Illa Templum Divi Claudi nominata structura fuit ex egesta terra facta, muro alto et crasso cincta et coercita. Formam habuit ichnographice rectangulam atque aream 180×200 metra circiter occupavit, insuper autem fuit arboribus instar horti consita et fortasse porticibus circumdata. Post incendium anni 64 PC templum hoc fuerat ex Neronis libidine in Domum Aureum inclusum et in nymphaem ingens partim conversum., sed imperio ad Vespasianum transito in formam priorem iussu novi principis reversum fuit.

De Claudi templo, omnem suum splendorem usque ad aetatem Constantini (regnavit annis 313 – 337) servante, hodie solae partes disiunctae atque dilapsae circumdantis muri supersunt, quarum spectabilissima pars secundum hodiernam viam Claudiam (*via Claudia*) se extendit. Haec est latericia, vestimentum suum marmoreum amissa rudera muri orientalis alternis aediculis, quum rectangulis tum superne semicirculis, ornati. In quaque aedicula aqua saliens erat antiquitus posita et via Neroniani aqueductus alita. Item latus Templi ad occidentem vergens ac latere principali functum ruderibus minoribus hodie praesentatur, quamquam scalae magnificae, ad principalem introitum antiquitus porticu hexastyla ornatum pertinentes, apud ecclesiam Sanctorum Iohannis et Pauli (*SS Giovanni e Paolo*) adhuc videri possunt. Denique reliquiae non

magnae de introitu secundario fortasse residuae septentrionalem muri spatium ad Colosseum vergentem hodie testantur.

Porta Praenestina sive Porta Labicana: Fuit anno 52 PC, iussu principis Claudii constructa in loco Ad Spem Veterem sic propter fanum vetustum hic positum appellato. Erat pars aqueductus Claudii (sive Aquae Claudiæ) supra duas vias, Praenestinam et Labicanam, prope ad eorum furcum transiens et ad transitus utriusque viae luminum latitudine aperiendos necnon magnificentia sua formae arcui triumphali simillimae ad eos nobilitandos ministrans. Est integra ex lapide Tiburtino et in opere quadrato facta; superficiem autem rusticatam habet secundum sui temporis gustum. Structura omnis duo et triginta metra in altum atque 24 in latum, quum utrumque lumen fornicatum 14 metra in altum, 6, 35 in latum et 6, 20 in profundum habet. Omnia tria columnæ Portæ singulis fenestræ traiecta sunt, quarum quamque triangulum fastigium duabus semicolumnis Corinthiis rusticatis fultum coronat. Superior structurae pars



caenaculum est mire altum,
cuius utraque frons in tres
libratas fascias duabus taeniis
eminibus dividitur. Fascia
quaque singulam
inscriptionem dedicatoriæ, in
utraque fronte eandem, habet:
superior Claudii, qui Portam
aedificavit, media Vespasiani et
inferior Titi, qui hanc
restauraverunt, ille anno 71 PC,

hic autem 81 PC. Fasciarum superior specum ad aquam Anienis Novi traducendam primitus destinatum occultat, media specum ad Aquam Claudiæ, inferior nullum specum habet, sed ad augmentandam altitudinem caenaculi tantum adest.

Anno 272 PC Aurelianus Portam sicut et vicinum ei Monimentum Eurysaci (v. hic infra) atque Cestii Sepulcrum (v. infra) in murum suum Urbem munientem inclusit, ex quo tempore structura illa vera porta Urbis exstitit ac idcirco Porta Praenestina aut Labicana, ex nominibus viarum eam transeuntium appellari incepit. Annis 401 et 402, videlicet Honorio regente facies Portæ fuerat munitonibus erectis operta, quae manebant usque ad annum 1838, quum iussu Pontificis Gregorii XVI hae destructae fuerunt pristini aspectus restituendi gratia, quo simul et Monimentum Eurysaci aperuerunt. Consecutæ restaurations habitum Portæ ad antiquam eius formam maxime admoverunt. In quibus restauratio anni 1956 antiquas vias basalto stratas infra et locum circa Portam de humo saeculis cumulato repurgavit.

Nomen suum hodiernum, *Porta Maggiore* (id est Porta Maior) monumentum hoc ex eo potissime habet, quod iter rectum ad basilicam patriarchalem Sanctae Mariae Maioris (*Santa Maria Maggiore*) ducens hanc portam transiebant.



Monumentum

Eurysacis: Iuxta Portam Praenestinam, a dextra viatoris ad eam a media Urbe appropinquantis, stat ampla ruina aedificii, quod antiquitus sepulcrum fortunatissimi pistoris ac fortasse liberti Eurysacis et eius uxoris Atistiae continebat. Exstructum erat circa annum 30 AC,

scilicet inter finem civitatis liberae et initium principatus, quam ob rem ostendit proprietates duarum simul aetatum, quamquam tempore conterminorum, sed funditus diversorum. Praevalet hic tamen proprietas temporis prioris, quae characterem huius operis artis constituit et verbo “verismus” circumscribi vel potest. Nam omni aspectu suo ac manifeste monstrat opus hoc professionem sepulti cum opificio manuali conexam. In parte superiori sunt latera monimenti (fronte excepta) rotundis foraminibus ornati per tres libratos ordines dispositis, quae, sicut placet, mactras pro massam depsendam imitatur, pars quidem inferior furnis assimilata est. Praeterea supra foramina et sub corona mutulis fulta fascia caelata monimentum cingit in qua figuratus est processus panificii in defuncti officina. Addendum est urnam pro cineribus Atistiae (hodie Romae est, in Musaeo Thermarum) in panarii (canistrae pro pane) formam factam esse. Denique, ut transeuntes spectatores nullum dubium habeant, cuius professionis esset homo hic iacens, librata fascia sub foraminibus collocata est cum hac inscriptione: EST HOC MONIMENTUM MARCEI VERGILEI EURYSACIS PISTORIS REDEMPTORIS, APPARET.



Ergo omnia in hoc opere cotidiana et simplicia sunt. Tamen huc accedit res in arte antiqua sicut in posteriori non omnino solita: dimensiones huius sepulcri, quae usitatis multo maiores sunt (altitudo eius magis est quam 7 m), addunt regnanti hic stilo pedestri magnam vocem et pondus. Idem etiam parastades in angulis aedificii faciunt, quae capitella habent Corinthiis simillima, et idem antiquitus faciebat absens hodie magna tabula caelata cum effigiebus iconicis (i. e. in plenam statu) Eurysacis et Atistiae, locata super introitu ad orientem solis vergenti. Itaque infinitas imaginum in hoc opere colligatur cum magnificentia expressionis. Novus sensus autem in eo videri licet, quod aedificium hoc, sicut multi putant, pro tecto suo pyramidem recepit convenienter ineunti tunc in artem amori formarum Aegyptiacarum (cf. Pyramis Cestii).

Aedificatione Muri Aureliani anno 271 Monimentum restavit omnino intactum, quamquam haec nova Urbis linea eo proxime transiit. At serius, quando dominus Honorius (regnavit annis 395 – 423) murum communiebat, fuit id una cum Porta Maiore (v.) in turrim propugnantem instructum, qua de causa per multos saeculos protectum manebat ab vi temporis destructiva usque ad annum 1838, quando turris erat demolita atque Monimentum in lucem profertur fere incolume, privatum tantummodo piramide sua, cuius fragmina Monimento invento intereunt, et pariete antico cum caelata tabula Eurysacem et Atistiam imitata, quae in fragminibus turris reperitur ac manet hodie in Museis Capitolinis.

Aedes Honoris et Virtutis (ad Portam Capenam): Templum geminum, quod erat ante Portam Capenam, in valle inter Caelium et Aventinum, positum (L XXV, 40, 3; XXIX, 11, 13; MA) ac duabus divinitatibus genuinae Romanae religionis consecratum. Partem Aedis priorem Q. Fabius Maximus Verrucosus anno 234 AC, post huius adversum Ligures bellum deo Honori dedicavit (C De nat. deor. II, 61). Pars autem posterior fuit anno 205 AC ex voto, quem M. Claudius Marcellus post proelium cum Gallis ad Clastidium anno 222 AC factum nuncupaverat atque Syracusis captis renovavit, ab eius filio deae Virtuti dedicatum. Ipse tamen Marcellus, non

filius eius, hanc novam partem construxit et veterem ad hoc restauravit, sed postquam pontifices anno 208 AC vetuerant eum virum partem veterem denuo, tunc tamen ambobus deis, dedicavisse et ita votum suum solvisse (L XXV, 40, 1–3; XXVII, 25, 7–9; XXIX 11, 13; VM I, 1, 8; Plut Marcell. 28). Aedes igitur nova videtur duas frontes oppositas cum singulis ostiis («gemella facie» – Symm Ep. I, 20) habuisse.

In hoc delubro aedicula aenea vetusque aliquamdiu durabat. Quam putabant a rege Numa Camenis ad Portam Capenam, id est alicubi in propinquo consecratam fuisse, sed posterius ictam fulmine in Aedem Honoris et Virtutis transportatam ac postremo a Fulvio Nobiliore pro suo Templo Herculis Musarum (v. infra Porticus Philippi) apud circum Flaminium post annum 189 AC ablatam (Serv Aen. I, 8).

Aedes fuit Vespasiano principe (annis 69 – 79 PC regente) restaurata ac eadem aetate *Cornelio Pino et Attio Prisco* depicta (PM XXXV, 120). Quem posteriorem Plinius Maior genere artis «antiquis similiorem» (Ibid.) existimat. Haec structura est postremum saeculo quarto (Not Reg. I) memorata

MONS AVENTINUS:

Sepulcrum Cestii: Structura funeraria apud viam Ostiensem, non longe a Porta



Ostiensi posita, formam arduae pyramidis cum levibus, id est non scalaribus lateribus habens. Est inter annos 18 et 12 AC, aetate videlicet Augustana, qua Aegyptiacae formae praecipue perulgatae in Urbe exstiterunt, pro sepultura septemviri epulonum C. Cestii facta. Eius mensurae sunt: 36, 4 metra in altum (seu quarta pars

praeclarae sua magnitudine pyramidis Cheopis in Aegypto) atque 29, 5 in latum aeque ac in profundum. Conclave autem sepulcrale in structurae penetralibus occultum 4, 10 metra in latum, 5, 95 in profundum et 4, 80 in altum habet. Est fornice cunctum, quum parietes eius adhuc vestigia picturæ conservant.

Interea pyramidis externus aspectus erat minime ornatus, nisi forte inscriptionibus dedicatoriis in duobus lateribus diversis, orientali et occidentali, quae sepulti nomen officiumque et nomina duorum dedicatorum indicant. Ante autem pyramidem quattuor columnae antiquitus

stabant, effigies aeneae fortasse fulcientes. Quarum columnarum duae in situ hodie recompositae sunt.

Structurae nucleus caementicius est opere latericio coopertus et tabulis ex albo marmore superne crustatus.

Aevis mediis erat pyramis Meta Remi (nam origo eius cum fratre primi regis Romani coniunctam esse putabatur) appellata. Restauratio monumenti annis 1656 – 1663 iussu et sumptu papae Alexandri VII fuit peracta. Eadem aetate reliquiae columnarum duorum fuerunt ante pyramidem inventa at monumentum ipsum fuit de humo cursu saeculorum valde cumulata liberatum et apertum. Saeculo XIX demoliverunt pars muri Aureliani pyramidi continens. Ultima autem restauratio monumenti fuit anno 1999 peracta.

Nostris diebus aedificium hoc unica pyramidum in Urbe constructarum restat; aliae enim variis temporibus destructionem passae sunt, ut verbi gratia Meta Romuli prope Mausoleum Hadriani prius collocata et anno 1499 destructa, necnon duae in loco hodierni fori Populi (*Piazza del Popolo*).

Thermae Antoninianae sive Thermae Caracallae: Sita in bracchio Aventini , inter vias Appiam et Ardeatinam, erant hae thermae luxuriosissimae omnium Urbis thermarum, magnitudine autem Diocletiani Thermis tantum, posterius ortis, cedebant. Aedificatio Thermarum temporibus principis Septimii Severi (193 – 211) initium capit ac regnante M. Aurelio Antonino (211 – 217) vulgo Caracalla cognominato (unde utrumque Thermarum nomen) usque ad earum dedicationem AD 216 continuatur. Porticibus opus hoc, iam aedificatum, ab Heliogabalo (218 – 222) et Alexandro Severo (222 – 235) suppletur, denique reparatur temporibus Aureliani (270 – 275), Diocletiani (284 – 305) et Theodorici Magni (475 – 526).

Thermae sedecim milia lavatorum simul in se continere ac eis ad lavacrum satis aquae, quattuor et sexaginta spatiosis cisternis collectae, praebere poterant. Praeterea auxilia pro balneum atque otium diversi generis tam varia hoc loco habebatur, ut eorum aequa ac visitantium collocatio ingentem aream requirebat. Ideo non mirum est eam plus quam 10 ha effecisse. Componunt eas thermas opera dua, quae ut dua tetragona rectangula, quorum alterum in alterum inscriptum est, ichnographice apparent. Eorum principale est opus inscriptum, sive alias domus, proprie balneis destinata, quae aream 214×110 m occupat et projectionem semicirculatam in media parte, fronti contraria, habet, quum opus eam inscribens et claudens atque duabus projectionibus exedrarum in lateralibus partibus completatum est saeptum altum, quod cavaedium spaciose (337×328 m) seu peribolum in planicie viribus humanis facta iacentem cingit. Aedificium balneare, fronte suo principali ad portam cavaedii vergens, proprius ab ea situm est. Uterque introitus Thermarum, quum balnearum tum saepti, inter septentriones et orientem spectat.

Nomen architecti, qui designationem Thermarum fecit, quamquam ignotum restat, eius tamen sollertia sine dubio est. Omnis enim complexio sic ab eo disposita fuerat, ut fecit commodissimum omnium curationum balnearium consequentem effectum, illius aetatis medicis commendatum. Non minus aperta est in Thermarum dispositione earum auctori propria fidelitas erga traditiones architectonicas Romanas, nam hic structura generalis Thermarum Traiani (v.), quasi ante saeculum, inter annos 104 et 109, constructarum, ascita et singulari modo exulta appareat. Congruentia specularis amborum partium, iacentium utrimque ab axe mediano, qui ambis partibus complexionis, scilicet cavaedio et balneis, communis reperitur, dispositionem locorum facile prospectabilem (perspicuum) facere et itinerationem (iter) expedire debet.

Iter visitorum tritum in Thermis quasi tale erat. Post transitum per portas in saepo factas animadvertebat is contra se magnam sed specie modestam, nam prorsus inornatam, frontem aedificii balnearis per quattuor portas perviam. Transita aliqua de eis porta, veniebat visitor in proximum ex duobus *apodyteriis* (sc. vestiariis) utrimque ab axe mediano collocatis, ut suam vestem exutam servo custodi relinquat. Unde, si corpore satis firmus erat, ingrediebatur *palaestram* (unum ex duabus etiam) exertionum corporalium causa, eas enim placebat medicis Romanis ante balneum effectas saluberrimas esse. Post palaestram autem *laconicum* sive *sudatorium* inire opus erat, quo in vapore arido et calidissimo lavaturi sudabant, postea strigili sibi cutem de sudore cum sordibus repurgantes. Deinde is ex laconicum (sin ad exertiones corporis et ardorem magnum non nimis propensus, rectum ab introitu) in *caldarium* seu *calidarium*, in postica parte aedificii situm, perveniebat, quo ardor forsitan 50° aut 55° explebat et visitores aqua calida lavabantur. Porro deminuebatur aestus gradatim: discedens retrorsum ex caldario, nunc tamen recta via, intrabat homo lavans oecum transitorium, ex deminuato ardore *tepidarium* nominatum. Inde patebat *frigidarium*, oecus spatiiosus cuius aer et aqua ardorem corporibus penitus levabant. Omnis lavatio terminabatur immersione in piscinam frigida aqua plenam et *natationem* vocatam, natandi causa. Postea vacabat homini lavato in amplio et bene ordinato pro iucundam quietem cavaedio spatiari aut se variis ludis et Musis tradere.

Talis erat usualis cursus lavationis in Thermis Caracallae et aliis balneis Romanis eis similibus. Loca autem eius monumenti spectabilissima statim hic memorabo.

Oeci balneis destinati capaces erant et supra morem alti (murorum altitudo 20 m explevit). Coopertum ingenti tholo caldarium formam laxi (cum dimitiente 34m) circuli ichnographice habebat, tribus partibus ex aedificii corpore procedentis, et erat spatiosis fenestratis arcuatis expeditum, quae solis radiis quam maximam et longam pro die facultatem intus penetrationis faciebant. Pro firmamento tholi octo pilae potentes (quarum hodie solum quattuor extant) serviebant. Medium oecum caldariae occupabat ampla et rotunda piscina.

Alter spectabilissimorum oecorum aedificii fuit frigidarium seu Basilica, aream habens 58×24 m. Oecus hic valde capax in loco intersectionis duorum axium aedificii principalium iacet: longitudinalis cum transversali, qui ipsius oeci praecipua longitudine manifeste excerptus est. Frigidarium tribus fornibus tectum erat, quos octo pilae magnae sustentabant cum singulis ad eas appositis columnis ex cano granito factis. In duabus extremis frigidarii partibus singula quoque lavacra ex granito sculpta manebant, quae nunc in Foro Farnesiano (Piazza Farnese) collocata sunt. Natatio autem, 53 m longa, sine ullo tegumento, sub Iove sita erat.

In postica parte cavaedii quattuor et sexaginta cisternae stabant, octoginta milia litrorum aqueductibus (Aqua Marcia via Aquae Antoniniana) praebitae aquae continentis. Ab cisternis utrimque duae bibliothecae erant locatae, Graeca scilicet et Latina. Situm ante cisternas et eis parallelum stadium porrigebatur. Ad marginem viridissimi aestate cavaedii ambulationes munitae fuerant. In laxis exedris lateralibus nymphaea aquarum plena atque loca ad philosophica et alia docta colloquia destinata erant. Saeptum extrinsecus erat porticibus et tabernis, dua tabulata habentibus, praecinctum.

In multiplice et ingenti complexione subterraneorum dispertita fuerunt ministeria ad continentem actionem balnearum necessaria, praesertim focus maximus ad lavantium usum recalificiens quum aquam tum aera distribuendum per hypocaustum (i. e. conexionem cassorum in parietibus pavementisque) pro calorem quantumcumque in omni parte aedificii requisitum erat. Aequa sub terra, proprie dici sub magna exedra sinistra, collocatum fuit Mithraeum, ex notis hodie Mithraeis Urbis momenti maximi.

Thermae Antoninianae erant antiquitus operibus diversarum artium large decoratae: statuis deorum heroumque, effigiebus principium, variis musivis pavimentorum atque picturis parietariis. Eorum pars bona effossionibus variorum temporum pro novis generationibus recuperata fuit. Inter statuas ibi inventas hae sunt iam diu atque late nobilissimae: Hercules Farnesius (*Ercole Farnese*) et Flora Farnesia (*Flora Farnese*), ambae magnitudinis colosseae, ex marmore sculptae et hodie Neapoli, in Museo Archaeologico durantes. Eorum prior heroem nudum, musculos praeter omnem modum exultos habentem et requietis gratia clava sua fultum, certe post aliquam aerumnarum suarum, ostendet, opus *Glyconis Atheniensis* ineunte III saeculo factum, in quo Lysippi exemplum libere retractatum apparent.

Par eis nobilitate similisque marmorea materia, sicut ortu archaeologico ita hodierno loco est Bos Farnesius (*Toro Farnese*), qui penitus restauratus hodie videtur et placet imitationem operis secundo aut primo saeculo AC Rhodo facti esse. Argumentum eius supplicium est, cui Dircem Zethus et Amphio tradunt, ad cornua bovis furibundi eam adligantes, ut vexationem eorum matris Antiopae vindicent. Pro auctoribus archetypi Plinius Maior (36, 34) duos artifices,

Apollonium et Tauriscum de Trallibus, memorat et ait opus illum ex uno lapide factum eius temporibus inter Monimentis Asinii Pollionis (v.) esse.

Haec opera tria regente papa Paulo III Farnesio (1534–1549) reperti fuerunt et, ante translationem Neapolin anno 1786, in thesauro Farnesiorum manebant, de quibus eorum operum cognomen oritur.

Quartum signorum maxime illustrissimorum, quae in Thermis Caracallae inventi sunt, commemorandum est illud Truncus de Bello Conspectu (*Torso di Belvedere*) cognominatum, quod aetate Renascentiae nanctum postea diu perfectione sua magnorum artficium animos capiebat. Fragmen hoc primitus Herculem sedentem fortasse monstrabat, de quo tamen supersunt solum truncus cum femoribus et sine capite ac sedes herois cum sculpto in ea nomine auctoris, *Apollonii* cuiusdam Atheniensis, Nestoris filii. Hoc signum opinione doctorum saeculo I AC factum fuit; hodie in Museis Vaticanis conservatur.

Spectabilissima sunt etiam aperta effossionibus musiva, praecipue illa, quae exedras palaestrarum ornabant et athletas imitantur, anno 1824 reperta at nostris diebus in Museis Vaticanis conservata. Visenda sunt et alia musivorum, bicoloria (negra et alba), quae restricte et expresse maris numina, bestias aquatiles atque homines monstrant.

Actioni Thermarum Ostrogothi anno 537 finem imposuerunt, Urbis obsidio aqueductum destruentes. Post hoc incipit longum tempus vastitatis et destructionis gradatim procedentium, quando locum sicut et multa alia loca antiquae Urbis se in accessu faciles et opimas latomias convertit. Numerosa artis opera inveniuntur hic saeculo XVI, quorum maxime illustria iam supra memoravi. Eodem prope tempore etiam architecti hoc monumentum assidue metiebantur ac describebant. Tamen effossiones archaeologicae ad rationem doctrinalem revocatae incipiunt Thermis anno 1824; hae Thermarum musiva primo in lucem proferunt. Ineunte saeculo XX inchoata est subterraneorum investigatio, quae anno 1938 perducit ad repertum **Mithraeum** antea sub una de magnis exedris obtectum (v. supra). Postea in dimidio prope saeculo rudera Thermarum pro theatro spectacularorum lyrico-scaenicorum et eorum prospere gestorum serviebant; haec tamen obiectamenta evocaverunt eruditorum hominum, conservatione huius monumenti sollicitorum.

Thermae Decianae: Decio (regente annis 249 – 251 PC) in parte occidentali Aventini aedificatae, sunt hae thermae omnino fere destructae, quam ob rem eorum notitia praesens maxime ex intercedentibus documentis hausta est. Ante omnia tamen est notanda delineatio ichnographica, etsi non integra, A. Palladio ad annum 1560 facta et in Thesauro Devoniano (*Devonshire collection*) diebus nostris custodita. Quae oecum medium et priorem partem caldarii una cum apodyteriis et membris ad quietem ex utroque latere positis monstrat ac docet

magnitudinem partis Thermarum principalis prope 70×30 metra attigisse, ergo aedificium hoc amplissimum fuisse.

Effossiones tamen in area Thermarum peractae non sine fructu evenierunt. Ceterum facta hic inventa non ita ad Thermas ipsas pertinent, quam ad vetustiora huius loci aedificia, quae in fundamenta Thermarum futurarum tempore constructionis earum inciderunt. Repertae in investigando terreno se per Forum Templi Diana (Piazza del Tempio di Diana) Fundumque Torloniarum (Casale Torlonia) paene adhuc inexploratum extende habitationes, quae sunt diversis aetatibus constructae atque decoratae, incolmitate structurae et parietariis picturis notandae imprimis videntur. Quinque habitationes domus annis vicesimis saeculi XX, inter cloacae urbanae refectionem nancta sunt integre conservata fornicibus cruciformis additis. Unum vicinorum habitationum est picto parietum decoramine spectabile, quem pluria quadra cum topiis, naturis mortuis et scaenicis personis ante albam posticam simulatis conformant. Sensus autem artis in hac pictura visibilis indicat eam ineunte secundo saeculo PC exstitisse. Aliud conclave depictione alterius generis animum capit, scilicet fasciis latis coloris violacei, quas figurae hippocamporum (i.e. fabulosorum equorum marinorum), hircorum montanorum atque flororum variorum ornabant; haec depictio est ineunte III saeculo PC, domus restaurandae causa effecta. Denique relicta cuiusdam domus aetate exeuntis Rei publicae Liberae hoc loco aedificatae cum exstante columna tofina et pavimento marmoribus coloratis vestito est sub fundamentis Thermarum inventa.

Aedes Cereris, Liberi Liberaeque, vulgo **Aedes Cereris** simpliciter: Erat in septentrionali proclivitate Aventini, apud extremitatem occidentalem Circi Maximi posita. Fuit constructa atque dedicata anno 493 AC propter inductum Romae anno 496 AC, id est famis tempore et ad eadem propellendam, cultum trium divinitatum Graecarum, Demetros, Dionysi Persephonaeque, in delubro hoc sub nominibus Latinis adorandarum. Erat areostylon templum in genere Tuscanico aedificatum (Vtr III, 3, 5), quamobrem plastico decoramine, fictili aut aeneo, supra fastigio tectoque abundans. Artifices *Damophilus* et *Gorgasus*, qui eam plastica atque pictura ornaverunt (PM XXXV, 154), Graeci erant, advenae forsitan ex Italia meridionali. Aedis autem aedificator, Sp. Cassius aeneum Cereris simulacrum suo sumptu paratum, quem Plinius Maior (XXXIV, 15) falso affirmat primum Romae signum ex aere factum fuisse, hic dedicavit.

Aedes haec et alio opere nota est (PM XXXV, 24; 99; Str VIII, 381), *Aristidis*, Thebani pictoris tabula Bacchum cum Ariadna ostendente, quam L. Mummius ex praeda in capta anno 146 AC Corintho erepta dedicaverat. Plinius (XXXV, 24) refert Mummius tabula 600000 denariis regi Attalo vendita, miratum de soluto pretio «suspiciatumque aliquid in ea virtutis», tabulam spretis Attali querimoniis repetivisse et recuperatam Romamque in vectam in Aede Cereris exhibuisse.

Hoc fanum, quem Cicero (Verr. IV, 108) «pulcherimum et magnificentissimum» appellavit, fuit nihilominus anno 31 AC incendio vitiatum. Postquam Augustus eum restauravit ac Tiberius anno 17 PC denuo dedicavit. Manebat saeculo etiam quarto PC. Eius tamen reliquiae non hodie supersunt.

COLLES VIMINALIS et QUIRINALIS:

Thermae Diocletiani: Haec praeclara complexio balnearis, omnium Thermarum Romanarum amplissima et copiosissima, erat in loco plano inter collibus Viminali et Quirinali posita. Quam nomine Diocletiani dedicatam consors illius Maximianus ab anno 298 usque ad 305 PC construebat at Constantius Chlorus (regnavit 305 – 306 PC) et Galerius (regnavit 305 – 311 PC) has novas thermas confecint. Exstructio tantae molis in tam populosa tunc parte Urbis demolitionem permultorum aedificiorum quam publicorum tam privatorum postulaverat, area enim Thermis occupata magis quam 140.000 metra quadrata attingebat.

Olympiodoro (ap. Phot. 80, 63a) si licet credere affirmanti Thermis tres milia circiter homines eodem tempore lavari posse, spatium erat hic parcus usum et singulus visitator strictiorem locum pro se habuit quam in Thermis Caracallae. Thermae Diocletiani sunt eiusdem generis atque aliae thermae, quae Romae inde a Thermis Traiani (v. supra), – Caracallae thermae (v. infra) praecipue, – constructae fuerunt, eo quod similiter conformatae, dispositae et ad eandem regionem caeli versae erant. Terrenum Thermarum hortum cavaedii ac aedificium balneare continentem altus peribolus intus porticibus ornatus circumdabat, formam terreni rectangularum (376×361 metra) additis projecturis variarum (rectangularum et semicircularum) exhedrarum ornatam definiens. Exhedra maxima formam semicirculi habens et sedibus ab interiore parte circumdata (nam fortasse cavea theatri erat) medium parietem periboli inter meridiem et occasum solis spectantem extendebat. Eodem spectabat et caldarium aedificii balnearis, ordinem conficiens aularum principalium, videlicet piscinae, frigidarii et tepidarii, qui in axe Thermarum medio iacebat ac eum ita principalem efficiebat. Caldarium erat ichnographice quadratum a quaue parte exhedra singula ornatum. Ei tepidarium tholo coopertum contingebat, unde frigidarium aperiebantur, quod erat oculus amplissimus longusque, axe sua per transversum axi principali dispositum. Spatium eius erat tribus vastissimis fornicibus cruciatis coniecta. Quas octo monolithicae exque granito cano factae columnae Corinthii generis velut si fulciebant, revera tamen solum decorabant hanc aulam splendidam. Denique post frigidarium et ante Thermarum ostium natatio id est piscina ad natandum post balneum destinata sub Iove expandebatur.

Ab utraque autem parte, secundum hanc luxuriosam aciem aularum duo ordines locorum speculari modo similes et ex apodyteriis, palaestris ac locis ad chirapsiam destinatis constantes

extendebantur. Proximum caldario erat par oecorum dispositorum in angulis contrariis posticæ partis aedificii et formam octagonorum habentium, ex quibus caldarium statim intrabile exstitit et quae nunc putantur balnea privata fuisse.

Parietes Thermarum nucleus ex opere caementicii habuerunt, quem opus latericum congebat. Crusta autem parietum erat extrinsecus gypsum constructionem lapidum imitatum at intus marmor varii coloris; opus musivum pavimenta ornabat. Luxuriam Thermarum signorum vis magna conficiebat. Ex his signis multae notae sunt, exempli gratia illae in ruderibus Thermarum inventae quondam duodeviginti effigies philosophorum, quae primo in thesauro Farnesiorum (*Farnese*) durabant, nostris autem diebus in Musaeo Archaeologico Publico (*Museo Archeologico Nazionale*) Neapoli (*Napoli*) maiore ex parte custodiuntur.

Confinium in historia Thermarum Diocletiani sicut et aliarum Urbis thermarum fit demolitio aqueductus anno 537 PC ab Ostrogothis Vitige duce Urbem obsidentibus. Quo facto incipit longa aetas devastationis atque dilapidationis huius ingentis monumenti. Bina tamen est monstranda causa, quae perfectae extintioni parietinarum valide obstabat, scilicet harum immanitas et conversio in aream ecclesiasticam. Ita anno 1561 Pius IV ecclesiam dedicatam memoriae Christianorum in servitutem pro eorum fide versorum, qui, ut ait hagiographica traditio, ex voluntate Diocletiani Christianos persecuti Thermas aedificaverunt et hic coronam martyrii acceperunt, in isdem Thermis institui iussit. Postea monasterium Cartesianum hic se dispositum atque ecclesia Sanctae Mariae Angelorum et Martyrum (*chiesa di S. Maria degli Angeli e dei Martiri*) fuerat arte operaque magni Michelis Angeli (*Michelangelo*) ab 1563 ad 1566 annum in quondam tepidario et frigidario instructa et anno 1749 ab architecto Ludovico Vanvitelio (*Luigi Vanvitelli*) restructa fuit. In duabus rotundis structuris parietem posticam periboli claudentibus hodie locatae sunt : in altera Sancti Bernardi ecclesia ad Thermas (*chiesa di S. Bernardo alle Terme*) hic ab anno 1598 manens, in altera caupona et cinematographicum.

Pars Thermarum maior, quae superest, hodie religiose servatur. Hic, in Musaeo Thermarum (*Museo delle Terme*), quod est additicia sedes Musaei Publici Romani (*Museo Nazionale Romano*) orta anno 1911 et aedificia supradicti monasterii occupat, sunt exhibitae antiquitates varii generis, quum opera artis statuariae in Thermis Diocletiani aliisque reperta in Oeo Octagono (*Sala Ottagona*, uno duorum angularium, proximorum caldario; v. supra) videri possunt. Ex contrario magna (90 metra in longum) cisterna, quae per ramum Aquae Marciae se antiquitus explebat et Thermis aquam suppeditabat, est demolita septuagesimis annis saeculi XIX ut locum stationi ferriviariae Termini appellatae dedisset. Etiam exhedra maxima, quae posteriorem partem cavaedii ornabat, erat destructa, etsi formam eius ichnograficam nova exhedra in loco pristino aedificata atque de exstantibus Thermis via recentiore separata iterat.

Templum Salutis: Constructum fuit post annum 311; anno 304 AC fuit depictum C.

Fabio Pictore, ortu et civitate Romano (PM XXXV, 19; non est confundendus cum vetustissimo auctore annalium Romanorum Q. Fabio Pictore). Depictio illa hoc viro subscripta erat (VM VIII, 14, 6); Dionysius Halicarnassensis (16, 6) eam laudat. Placet pluribus hanc effigiem proelium C. Junii Bubulci Bruti cum Samnitibus anno 311 AC ostendisse.

Tres aedes Fortunae: Tria fana iuxta Portam Collinam, citra stantes. Eorum vetustissimum videtur anno 194 AC Fortunae Publicae Populi Romani, deae scilicet Praenestinae dedicatum fuisse. Vitruvius (III, 2, 2) unam aedium pro exemplare «aedis in antis» memorat. Placet fundamenta et podium cuiusdam eorum ad angulum duarum viarum hodiernarum, Flaviae (*via Flavia*) atque Servii Tullii (*via Servio Tullio*), reperta esse.

PINCIUS MONS sive COLLIS HORTULORUM:

Horti Lucull(i)ani: Horti hi sunt perillustres pro luxuria ex exemplo memoriae hominum communi stabiliter affixae. Hi fuerunt prima in Pincio Monte complexio hortensis ad vires corporis animique recreandas facta. Metati, consiti constructique anno circiter 60 AC mandatu prominentis viri militaris Romani L. Licinii Luculli (T Ann. XI), hominis quidem locupletissimi, qui Bello Mithridatico tertio (75 – 65 AC) eius auspiciis in partibus Asianis prospere gesto propensionem in luxuriam Romanis tunc parum propriam aequa ac in ritus Persicos asciverat et in dictis hortibus ad suum usum privatum factis manifeste expressit evulgavitque. Talis tamen vivendi modus multorum indignationem eo necnon posteriore tempore movit, quem sequacum philosophiae Graecae, tum veteris Romanae virtutis aemulorum. Ita Pompeius (VP II, 33) et Tubero stoicus (Pl Lucullus 39) aliis hortis Luculli, etsi procul a Roma, scilicet in Tusculo et Neapoli dispositis, tamen illis cultu similibus, visis Lucullum «Xerxem togatum» acerbe cognominaverunt.

Horti Lucullani postea Horti Asiatici appellatati erant (Cass Dio LX, 27), ex agnomine certe domini eorum subsequentis, D. Valerii Asiatici, sed non sine significatione alienae insolentiae; ille Valerius enim Gallus Narbonensis origine, etsi conspicuus vir in rebus publicis Romanis erat. Hoc Valerio, mortem voluntarem perduto, Messalina, principis Claudii uxor, sua licentia et luxus cupiditate famosa Hortos sibi paraverat et ibi dissolute vixit donec inter luxuriam tantam iussu Claudii vita decessit. Horti postea longe sumptuosissimis possessionum principalium adnumerabantur.

Area Hortorum antiquitus artis operibus abundabat, quae posterius hic saepe reperiebantur. Eis locis ortus est etiam Acuens (*Arrotino*) inclitus, signum ex marmore, hodie in Florentinis Officiis (*Firenze, Uffizi*) durans. Virum seminudum ostendit, rudem visu, poplite subsidentem et cultrum acuentem, vultu autem paulum supino. Placet eum Romanam imitationem operis Graeci

saeculo III AC Pergamensi artifice facti et partem statuariae turmae efficientis, cuius argumentum erat Marsyae victi in musico cum Apollone certamine supplicium aut ad hoc praeparatio, quum persona in Florentino signo praesentata carnifex esse videtur. Hoc tamen ad signa pertinet; architectonica autem vestigia Hortorum sunt, quod dolendum est, exigua.

Horti Sallustiani: Fuerunt illustri historico Romano C. Sallustio Crispo, ex opibus eo in Numidia, quo is praefecti munere functus erat, quaesitis, pro usu suo privato ad medium saeculum primum AC creari mandati. Dispositi erant in valle Montem Pincium de Quirinali monte separanti. Hi Sallustii haeredibus primum possessi, non infra temporem Tiberii in dominium principium transierunt (T Ann. XIII, 47; Dig. XXX, 39, 8). Hortos eos multifariae structurae ad vitam sublevandam et otium agendum factae ornabant. Ex quibus notanda sunt: 1) templum Veneri Hortorum Sallustianorum consecratum (quod inscriptionibus testatus est); 2) ingens Porticus Miliarensis, id est mille pedes in longum habens, nominata, quam Aurelianus (rexit annis 270 – 275 PC) (HA Aurel. 49) ad suam et equorum exercitationem aedificavit; 3) nymphaeum, cuius rudera inter septentrionem orientemque Hortorum vergentia reperta sunt et visibilia; 4) iuxta nymphaeum aedificium ex opere latericio et minime tritabulata, tempore Hadriani, vel verius post annum 126 constructum ac pro cenaculo aestivo fortasse usum, cuius parietinae archaeologis in altitudine 14 metra sub libramento humi effossae sunt; 5) tres piscinae repertae quoque, sed non visibles; 6) conditorium (PM VII, 75) ad sepulturam Sallustiorum; 7) “pyramis Sallustii” in Actis martyrum relata, quae est eadem re vera ac extans hodie Obeliscus Hortorum Sallustianorum, quem Ammianus Marcellinus (XVII, 4, 16) commemorat.

Roma anno 410 capta, Gothi Hortos expilaverunt (Pr Bella I, 2). Quae autem postea aequa ac post assiduam spoliationem saeculorum subsequentium in situ restitit, erat hic frequenter inventa, praecipue postquam terrenum a cardinali Ludovico Ludovisio (*Ludovisi*) fuit vigesimalis annis saeculi XVII acquisitum et in villam gentilicium (*Villa Ludovisi*) conversum. Huius loci inventa maxime pretiosa sunt partibus diversis, ante omnia musaeis Romae et orbis terrarum dispersa. Quae sunt:

1. Obeliscus praedictus, hodie Sallustianus (*Obelisco Sallustiano*) appellatus, 13 metra in altum. Antiquitus supra spinam circi fortasse, alicubi in Miliarensi stabat. Opus hoc adversus proprietatem formae non est Aegyptiacum, sed Romanum origine, aetate Imperii, etsi iam post Augustanum tempore, ad instar Aegyptiacorum obeliscorum effectum. Hieroglyphica Obeliscum ornantia sunt imitatio illorum obelisci, quem Augustus in Circo Maximo dedicavit. Saeculo VIII etiam in situ consistebat, sed iam XV saeculo ibidem iacuit in duo fragmina fractus. Quo loco is usque ad annum 1733 mansit, quum papa Clemens XII eum dono Ludovisiorum adeptum in Lateranum transportari iussit. Anno autem 1789, imperatu papae Pii VI Obeliscus suum locum hodiernum ante ecclesiam Sanctae Trinitatis Montium (*S. Trinità dei Monti*) in Foro

Hispaniae (*Piazza di Spagna*), super gradibus ad dictam ecclesiam ducentibus atque novam basim adeptus est. Interim antiqua Obelisci basis ex granito rubro facta, 2, 50×2, 55 metra magnitudine fuit postea, iam ineunte saeculo XX in parte Hortorum ad septentrionem vergente denuo reperta et regente Mussolini (*Mussolini*) in foro Capitolii (*Piazza di Campidoglio*) ad monumentum memoriale (posteriorius ablatum) fulciendum constituta.

2. Vasum magnum, Burgesianum (*Vaso Borghese*) cognomine, ad hortum decorandum ex marmore Pentelico, saeculo primo AC, secundo scilicet huius dimidio, Athenis effecta, cuius dimensiones 1, 72×1, 35 metra sunt. Vasum est crater specie, cum corpore ad instar campanae conformato atque bina quondam ansa laqueo assimulata, nunc tamen perdita ornato. Denique corpus est fascia anaglypta et lata cinctus, bacchantium pompam ipso Baccho una cum Ariadna ductam ostendens. Vasum anno 1566 in Hortis antea Sallustianis ad lucem venerat et fuit familiae Burgesiorum (*Borghese*) vendita, ex quo et nomen eius ortum est. Deinde Napoleo (*Napoléon*) Vasum a genere suo Camillo Burgesio anno 1808 emit. Postquam opus illud in Luparam Parisiorum (*Paris, Louvre*) fuit acceptum, quo ad hodiernum usque diem custoditur.

3. Gallus (vel Galata proprie dictu) moriens, marmorea imitatio Romana signi ex aere Pergameno artifice, ut opinatur *Epigono*, inter annos 230 et 220 AC facti, eiusdem fortasse, quod Plinius Maior (XXXIV, 88) Tibicinem, Epigoni opus praestantissimum appellat. Hoc signum erat pars numerosissimae turmae statuariae, ut Donum Attalicum notae, in Pergamo, apud Minervae templum aut inclitam Aram Pergameam dedicatae ad celebrandas victorias Pergameno rege Attalo I (regnavit annis 241 – 197 AC) ex Galatis adeptas. Marmoreus autem Gallus placet ineunte saeculo XVII, quum Ludovisiorum villa in loco pristino Hortorum aedificabatur, nanctum esse. Utcumque tamen res se habuit, signum hoc erat primum anno 1623, pro parte thesauri Ludovisiorum notatum. Ab eo tempore diu simulacrum gladiatori morientis esse putabatur, qua de causa *Gladiatore morente* appellatum erat. Hodie in Palatio Novo (*Palazzo Nuovo*) Musaeorum Capitolinorum exhibitum est.

4. Gallus (vel Galata) se ipsum ac suam uxorem occidens (ne ab hoste capti ac servitute affecti sint), nobile par statuarium, quod aeque ac Gallus moriens est imitatio Romana signi ex signorum numero supradicti Doni Attalici. Primum in inventario Ludovisiorum, anno 1623 notatum apparuit ac putatur in terreno eorum villae paulum ante inventum esse. Nunc quidem in Palatio Altempsiorum (*Palazzo Altemps*), parte Musaei Publici Romani videri potest.

5. Triptychum caelatum, eruditorum convento Solium Ludovisiorum (*Trono Ludovisi*) appellatum. Unica massa marmoris est, cum alis tamen, quae retrorsum se recellunt. Quamquam nonnulli eum spurium esse suspicantur, plerique nihilominus fide dignum iudicant, opus in eo videntes in Magna Graecia, inter annos circiter 480 et 460 AC factum, quoniam secundum regulas severi generis artis Graecae conformatum est. In parte media exitus ex aquis dominae

iuvenis umida tunica induitae et ab utraque latere duabus ancillis adiutae videtur. Quae domina est fortasse Venus Anadyomene ipsa. Alae autem laterales duas puellas in aequalibus corporis positionibus sedentes, alteram nudam, tibia canentem, alteram ex adverso omnem veste nuptiali velatam ostendunt. Opus hoc est anno 1887 in villa antea Ludovisiorum inventum atque anno 1894 Rei Publicae Italianae venditum, quum hodie Romae, in praedicto Palatio Altempsiorum servatur.

CAMPUS MARTIUS:

Theatrum Marcelli: Huius theatri aedificatio, tempore Caesaris inchoata, iam ab Augusto principe anno 13 AC ad finem fuit redacta; theatro autem aedificato dedicavit Augustus



eum manibus nepotis sui
Marcelli premature defuncti.
Materia operis lapis Tiburtinus
est. Hoc in tres tabulata
extrinsecus divisa erat, quorum
inferius semicolumnis generis
Dorici, medium Ionici, superius
Corinthii ornabantur. Eorum
tamen tabulatorum diebus
nostris duo tantum inferiora
supersunt. Saeculo XIII fuit
theatrum a familia nobili

Savelliorum (*Savelli*) in castellum conversum. Postea, saeculo XVI exstruxit Balthasarus Perutius (*Baldassare Peruzzi*) supra eius rudera palatum, quem ab anno 1712 gens Ursiniorum (*Orsini*) possidebat.

Theatrum Balbi: Erat theatrum lapideum apud sinistram Tiberis ripam positum et cavea sua ad septentrionalem finem Insulae Tiberinae versus. Fuit erectum duce belli atque poeta scaenico L. Cornelio Balbo Iuniore et dedicatum anno 13 AC (Cass Dio LIV, 25; Su Aug. 29) ad illustrandam victoriam eius de Garamantibus in Africa adeptam. Theatri cavea circiter 7700 spectatores cepit. Plinius Maior (XXXVI, 60) refert quattuor columnas onychinas aetate illo raras Balbo constructore in theatro suo dispositas fuisse ac admirationem etsi parvas excitavisse. Prorsus Balbi aedificium quamquam magnitudine minima, tamen simul visu

sumptuosissima erat trium theatrarum in Campo Martio positionum (Quae sunt theatri Pompei, Marcelli et ipsum). Pone Theatri scaenam fuit huic ampla quadriporticus, Crypta Balbi nomine astructa. Tito regente (annis 79 – 81 PC) ignis Theatrum laesit (Cass Dio LXVI), quem tamen Domitianus (81 – 96) fortasse restauravit. Teste Ausonio (Lud. septem sap. 40) Theatrum ipso vivente (hoc est saeculo IV) agebat etiam.

Nonnulla vestigia structurae etsi exigua hodie exstant. Hae sunt partes inferiores caveae opere quadrato et reticulato constructae. Etiam Cryptae relicta sunt apud ecclesiam Sanctae Catharinae Fabrorum (*chiesa di Santa Caterina dei Funari*) reperta.

Circus Flaminius: Secundum auctorum veterum testimonia circus hic ingens erat locus aetate Rei publicae liberae ac partim etiam serius valde significans pro Urbis rebus ritibusque, inde enim iter pomparum triumphalium ex more initium capiebat, illic quoque saepe diversae contiones populi necnon Ludi Plebeii et semel etiam Saeculares (anno 158 AC) perfeciebantur. Idcirco nimirum est de Circi nomine loca vicina (Prata Flaminia) et ipsam regionem (Circum Flaminium) sua nomina accepisse. Illic non solum equorum curricula, sed et alia certamina varia spectari poterant. Anno scilicet 2 AC, arena Circi aquis impleta Augustus magnificam naumachiam dedicationis fori sui causa dedit, qua procedente sex et triginta crocodili fuerunt interfici.

Circus fuit anno 221 AC censore tunc C. Flaminio Nepote (eodem qui Viam Flaminiam stravit) aedificatus; situs erat in meridionali parte Campi Martii, inter Porticum Octaviae et Pompei Theatrum. Aetate mediaevali magna pars Circi etiamtum exstabat modo ut antiquitus Circus Flaminius modo Castellum Aureum modo Basilica Iovis appellata. Saeculo XV rudera monimenti fuerunt in Flavii Blondi (*Flavio Biondo*) “Roma instaurata” descripta, saeculo tamen subsequenti mature delineata artificibus et postridie demolita, ut locum aedificiis novis datura essent.

Scripta antiqua de forma architectonica rebusque Circi Flaminii tacent, sed relicta exigua sub aedificiis posterioribus reperta atque delineamenta dicta nobis aliquam de Circo notionem dant. Cuius ut aliorum circorum antiquorum forma erat oblonga cum altera extremitate rectangula altera autem semicircula. Haec ultima (cuius rudera sunt reliquis melius conservata) ad occasum solis et paulum ad septentrionem spectabat. Longitudo Circi 260 ac latitudo 100 metra in luce investigationum recentiorum fuisse apparent. Nucleus parietum erat ex opere caementicij factus et opere reticulato coopertum, quum pilae sicut arcus ex tofo et lapide Tiburtino facti erant. Latera exteriora latis arcubus in vias circumdantes aperiebantur.

Hic notanda sunt etiam duo delubra definito situ incerta, sed ambo ad aream Circi Flaminei pertinentia et ambo *Scopae* operibus antiquo tempore spectabilissima. Eorum unum erat **Neptuni templum**, quod in Circō aut apud Circum (Plinius Maior – XXXVI, 26 – «in circo Flaminio»)

dicit) erat positum et quodam Cn. Domitio A(h)enobarbo (quo horum ipso non est plane, ita enim nominati plures noti sunt) quondam inter exeuntem secundum saeculum ac trigesimos annos saeculi primi AC constructum, eo loco, quo iam ante anno 206 AC ara Neptuni condita fuerat. Principale decus Templi erat turma statuaria, *Scopae* opus marmoreum, Neptunum (fortasse cultui destinatum signum), Thetidem Achillemque necnon «Nereides supra delphinos et cete aut hippocampos sedentes» (*Ibid.*) cum aliis divinitatibus marinis monstrans. Quae signa iam dudum interita, sicut Plinius Maior (*Ibid.*) testatur, omnium *Scopae* operum «in maxima dignatione» eius tempore manentia.

Sed alium monumentum ex Templo Neptuni ortum et hodie exstat. Hoc est caelatura nostro tempore nobilissima et conditionaliter Ara Domitii A(h)enobarbi nuncupata, quam pridie quattuor tabulae contiguae et ex pentelico marmore factae conformabant, saeculo XVII in Palatio Sanctae Crucis (*Palazzo Santa Croce*) apud locum Circi Flamini inventae, nunc autem tres in Glyptotheca Monacensi (*Münchener Glyptothek*), una in Lupara (*Louvre*) Lutetiae Parisiorum (*Paris*) custoditae. Hae tabulae caelatae in longam fasciam libratam olim coniunctae erant, cuius exactum locum primorem homines docti varie definiunt, alii Templi aram, item alii parietes Templi, alii postremo basin signorum praedictorum nominantes. Tabula in Lupara durans censem Romanorum civium et censu finito caerimoniam lustrationis ex more factitatem una cum suovetaurilibus peracturis imitatur. Hic est Romanus verismus in delectu rerum effingendarum clarissime perspicuus, sed simul et desiderata ars eorum effingendi: figurae hominum sunt in simplicibus et unius generis statibus praesentatae, dispositio communis est elegantiae priva. Tabulae autem caelatae Monacenses, quae Graeco artifice factae sunt, contrarias proprietates ostendunt, scilicet fabulositatem rerum effingendarum et ad hoc verismum elegantemque artem eorum ad visum praesentationis. In his insolitum spectaculum spectatori aperitur et fortasse idem atque in turma *Scopae* a Plinio memorata, scilicet thiasus Neptuni et Amphitrites divinitatibus monstrisque maris comitatus. Opus totum est factum inter exeuntem saeculum secundum et secundum dimidium saeculi primi AC, sed artificibus diversis: Romanus partem censem Romae imitatam efficit, Graecus vero certe partes thiasum ostendentes.

Scopas fuerat auctor et operum, quae **Martis templum apud** eundem **Circum** positum decorabant. Haec erant duo marmorea signa, ambo fortasse cultui destinata, alterum colosseum sedentis Martis et alterum Veneris nudae eodem Plinio (*Ibid.*) Veneri Cnidiae, Praxitelis operi nobilissimo praepositae. Templum Martis fuit constructum sumptibus D. Iunii Bruti Gallaecii post eius triumphum anni 133 aut 132 AC pro victoriis Hispanicis. Architectus Templi est inclitus *Hermodorus* (v. infra Porticus Octaviae), sicut Cornelius Nepos (fr. 35 in ed. P.C. Marshali). Lipsiae, 1977, p. 108) ait.

In vicinia Circi, paulum ad septentrionem ab eo situm erat Porticus Octavia (discernenda est de Porticibus Octaviae) aedificata Cn. Octavio in honorem victoriae anno 167 AC ex Perseo partae. Duo columnarum ordines habuit, quum capita columnarum aenea fuerunt. Octavianus (Augustus tunc etiam futurus) anno 33 AC eam post incendium refecit (MA IV, 19), sed iam sine aeneis capitibus.

Theatrum Pompei sive Theatrum Pompeianum: Id anno 55 AC iussu Pompei Magni, tunc secundo consulis, ex lapide constructum eodemque anno cum pompa ludorum dedicatum aaedificium, fuit primum ac usque ad Theatrum Marcelli anno 13 AC constructum plane solum Romae theatrum perpetuo functum. Situm erat apud Circum Flaminium, paulo ad septentrionem et orientem ab eo. Illius forma exemplum Mytilenensis theatri ex arbitrio Pompei (Plut, Pomp. 42), qui eum anno 62 AC visitaverat ut in eo laudibus poëticis honoratus fuisset, imitabatur, sed Pompeiani theatri magnitudo modum Mytilenensis superabat. Idem Pompeius theatrum suum multis eximiis nobilibusque statuis exornavit («...mirabiles fama posuit effigies ob id diligentius magnorum artificium ingenii elaboratas» – PM VII, 34).

Aedificii dimetiens erat 150 vel 160 metra, scena autem longitudo quinque et nonaginta metra attigit, quum cavea decem milia spectatorum secundum aestimationem hodiernam continebat (contra affirmationem Plinii Maioris – XXXVI, 115 – quadraginta milia indicantis). Supra caveam subtractionibus caementiciis fultam et media margine eius templum Veneris Victricis ad scaenam fronte sua vergens et subtractionibus propriis instructus erigebat, qua de re sedium ordines uti gradus ad templum ducentes apparebant. Haec dispositio a Pompeio eo proposito effecta erat, ut censuram perpetui theatri aedificandi, tum in Urbe illiciti, evitet (Tert, De spect. 10; AG X, 1, 7). Idcirco ille theatrum suum non pro theatro, sed pro templo dedicavit.

Extrorsum autem theatri cavea fronte tritabulata spectabat, cuius tabulatum quidque ordine arcuum cum singulis columnis ante singulas arcuum pilas praepositis adornabatur, quum in ordine inferiori columnae Doricae, in medio Ionici, in superiori Corinthiae secundum communem regulam pro architectura classica valentem stabant. Arcus erant ex firmiori specie tofi, columnae ad eis applicatae ex granito rubro factae. Vestigia quattuor et viginti arcuum in tabulato inferiori positionum una cum columnis eis applicatis sunt inventa. Locus caveae est nostris temporibus clare definitus eius fundamentorum ratione ex magna parte extantum.

Placet nonnullis Theatrum Pompei primum aedificiorum theatalium parietem lapideum suis formis architectonicis frontem aulae regiae imitatum pro scaena stabili habentium fuisse eoque ipso exemplum antiquissimum Romani modi in theatrorum aedificatione praesentare. Ad parietem scaenae posticum ampliae Porticus Pompeianae (v. hic infra) adiacebant, ea secundum Vitruvium (V, 9, 1) mente constructae, ut spectatores in casu imbri in illis protegi potuissent.

Augustus Theatrum sumptibus magnis restauravit (MA IV, 9) et Pompei signum ex Curia Pompei constructione lapidum ex eo tempore obiecta illac transtulit, eam contra scaenam ponens (Su, Aug. 31) Tiberius autem post incendium anni 21 PC novum restorationem inchoavit, quam iam Caligula aut Claudius perfecit at Claudius restauratum Theatrum dedicavit. Idem Claudius nomen Tiberii in scaena inscribi iussit et arcum triumphalem marmoreum ad eius honorem necnon signum Iovis colosseum prope Theatrum (PM XXXIV, 40) posuit. Ultima restauratio erat Theodorico inter annos 507 et 511 PC perfecta.

Porticus Pompeianae sive Porticus Pompei: Constructae anno 55 AC, una cum Theatro Pompei et eius postico parieti adiunctae, hae porticus praestantissimae fuerant omnium porticuum Urbis tempore Rei publicae Liberae constructorum, tamen serius quoque, aetate Imperii, fervidis diebus aestivis frequentissimae restabant propter salientium aquarum abundantiam frigorificam. Latae porticus cum dupli columnarum ordine rectangulum conformabant, latera 180 et 135 metra habentem ac intus arboribus umbrosis consitum. Ad porticus eas multae exhedrae aperiebantur, quarum una, Curia Pompei nominata, locus erat, ubi senatus considere solebat et Caesar sexaginta iuratis fuit anno 44 AC interfectus, quare Augustus postquam princeps fuisset curiam eam ut «locum sceleratum» pariete in perpetuum operiri a Pompei statuam inde in Theatrum Pompei transferri iussit.

Pompei Porticus erant operibus artis opime ornatae, quorum nobilissima haec:

Polygnoti tabula Clipeatus (miles) curru descendens aut in currum ascendens (Plinius Maior saltem – XXXV, 59 – tabulam illam memorans de eo in ambiguo est); *Niciae* Alexander (Magnus?), praestantissima inter tabulas Porticum Pompeianarum (PM XXXV, 132); *Pausiae* Boum sacrificium, magna tabula magnum nigrumque bovem, ad spectatorem facie versum (*en face*) depingens (PM XXXV, 126sq); *Antiphili* Cadmus et Europa, cuius causa, sicut multi computant, Porticus nonnunquam Europa appellabantur (PM XXXV, 114).

Etiam placet quattuordecim signa annis Pompei viventis artifice Coponio facta (PM XXXVI, 41) ac totidem populos a Pompeio Romanae potestati subiectos monstrantia, quae scriptores antiqui memorant, alicubi in Porticibus fuisse, tamen excipi non potest signorum eorum locum pristinum in Theatro Pompei inveniendum esse.

Carino annis 283 – 285 PC Romae regnanti graviter igne laesae (Hist. Aug. Car. 19) Porticus erant a Diocletiano (284 – 305) restauratae (Chron. 148), sed anno 442 PC terrae motu destructae. Nostris diebus relicta Porticum non visibilia sunt.

Area Sacra seu Aedes Fortunae Huiusc Diei (in Campo Martio) et vicina templaque: Erat in area sacra inter Agrippae Thermas, Circum Flaminium et Pompeianas Porticus iacente una cum tribus aliis templis collocata. Eam Q. Lutatius Catulus anno 101 AC pro victoria a Cimbris reportata aedificavit. Formam ichnographice rotundam habuit. Ex hoc aedificio

columnae sex hodie supersunt necnon relicta (scilicet armi et caput) signi colossei ipsam deam in Aede colendam simulati, quae sunt in Musaeis Capitolinis nunc visibilia. Signum hoc erat ex diversa materia compositum: partes corporis apertae marmore imitatae, vestibus autem contectae aere. Statuae relicta reperta sunt effossionibus anni 1927.

Aedis reliquiae nostris diebus in Foro Turris Argentei (*Largo di Torre Argentino*) videri possunt et archaeologis sicut Templum *B* in Area Sacra, quum rudera aliorum trium templorum in eadem area effosorum *A*, *C* atque *D* notantur:

Templum *C* est eorum vetustissimum, saeculo III AC vel etiam IV aedificatum. Id erat Feroniae, Italicae deae fertilitatis, libertinis praecipue faventi, suspicabiliter consecratum. Post incendium anni 80 PC Templum fuit restauratum et simul musivis ex albis atque nigris tesseras decoratum, quorum relicta inventa sunt.

Templum *A* fuit saeculo III AC constructum et fortasse idem est ac Templum Iuturnae *C*. Lutatio Catulo aedificatum pro eius victoria ex Carthaginiensibus anno 241 AC adepta. Fuit in ecclesiam Christianam posterius reiectum, cuius apsis adhuc in situ manet.

Denique Templum *D*, amplissimum omnium hanc aream occupantium, erat saeculo II factum, Laribus Permarinis dedicatum ac aetate exeuntis Rei publicae Liberae restauratum. Cuius rudera sunt adhuc minime tantum effossa, sub hodierna via iacentes.

Porticus Philippi: Hic erant: Tabula *Zeuxidis* praeclarissima, Helenam ostendens, ex templo Junonae Laciniae in Crotone (PM XXXV, 66) orta, item series tabularum de bello Troico, *Theori* opus (PM XXXV, 144) aut *Theonis*.

Iuxta aut intra porticus templum fuit situm, quod Herculi Musarum consecratum esset.

Porticus Octaviae, quae ante Augusti refectionem **Porticus Metelli** appellabantur; quarum relicta sunt propylaea, temporibus Septimii Severi (regnavit 193 – 211 AD) constructa. Intra illas porticus erant:

Aedificia: unum, quod Schola nominabatur, necnon templa, de quibus unum Iovis Statoris (PM XXXIV, 29) architecto *Hermodoro Salaminio* II saeculo AC aedificatum (Vtr III, 2, 5) et Iunonae Reginae alium (PM XXXVI, 24; 35 et 42sq.), de quo relictæ sunt quattuor columnæ prioris anguli sinistri.

Sculptura: *Phidiae* Venus marmoræa, eximiae pulchritudinis, ut Plinio Maiori (XXXVI, 15) placet; *Cephisodoti* Aesculapius et Diana (in templo Iunonae) (Ibid., 24); *Lysippi* signa conglobata, Turma nomine, qui Alexandri Magni milites electos, in proelio apud Granicum occisos ut equitantes ostendebat (PM XXXIV, 64).

Pictura: *Antiphili* Hesione (in Schola) inclita (PM XXXV, 114); *eiusdem* Alexander et Philipus cum Minerva (ambo fortasse in curru, Minerva regente) (Ibid., 114).



Templum Apollinis Medici aut

Sosiani: Romae primum et ante aedificationem talis templi ab Augusto in Palatino unicum templum Apollinis, consecratum anno 431 aut 429 AC, situm inter Porticus Octaviae et Theatrum Marcelli. Cognominatum fuit secundum statuam Apollinis ex ligno cedrino, quam annis trigesimis primi saeculi AC dux belli Sosius ex urbe Seleucia in Cilicia aut Syria evexisset. Ibidem stabant quoque statuae conglobatae Niobidum, quas antiqui haesitabant, ut Plinius Maior (XXXVI, 28) tradit, utrum Praxiteli an Scopae ascribi deceat. Templi reliquiae nuper apertae sunt.

Stadium Domitiani: Haec ad

latus occidentale Thermarum Neronis disposita structura fuit a principe Domitiano (regnavit 81 – 96 PC) una cum Odeo (v. infra) cogitata et eiusdem iussu aedificata Certaminis Iovi Capitolino semel in quadriennio celebrandi gratia. Quod certamen Graeco exemplo tractatum ex diversis certationibus constabat, gymnasticis praecipue, sed musicis etiam. Cursus tamen equestres non fuerant in illo certamine provisi, quo facto solita circis (v. supra Circus Maximus) spina carceresque in Stadio sicut in stadiis Graecis aberant, etsi aedificium hoc erat ceteroquin Romanorum circorum simile, hoc est ichnographice oblongum cum altera extremitate rotundata, altera autem rectangula necnon arena ornatum circumscriptiōnē lineamentis Stadii congruam habente et capaci cavea cincta.

Stadia Romae per occasionem ac ad tempum ex materia lignea prius aedificabantur. Ergo Domitian stadium fuit primum in Urbe ac ad hoc unicum in occidentali parte orbis antiqui magnum aedificium talis proprie Graeci generis; etenim Romanus populus spectaculis gymnasticis multo segnior quam Graeci favebat, etiam hoc Graecam humanitatem sequendo.

Stadii terrenum a meridie ad septentrionem extensus erat 275 metra in longum et 106 in latum; cavea eius magis triginta milia spectatorum cepit. Frons aedificii ad vias ei circumiectas vergens erat ex Tiburtino lapide constructa, bitabulata et dupli ordine arcuum pilis fultorum ornata, quum pilae semicolumnas p̄ae se habebant, ordinis inferioris Ionicas, superioris autem Corinthias. Utrumque latus Stadii longum habuit singulum ostium principale cum bicolumnario propylo ei praeposito. Huiuscmodi propylon ostium quoque in rotundata parte frontis decorabat.

Etiam signa varii generis, ut Romae in aedificiis publicis solebat fuisse, Domitian stadium explebant. Quorum ex numero multa inventa sunt; famosissimum tamen est grave mutilatum (nam extremitates sunt defractae et vultus abrasi) marmoreum signum duos viros imitatum, 1,92 metra in altum. Plures docti in hoc relicto vident iteratum opus Antigoni, sculptoris Pergameni, qui secundo dimidio saeculi III AC floruit, ac in eius figuris mutilatis Menelaon Patroclen mortuum ex proelio efferentem; huius simulacri imitatio optime conservata hodie in Florentia (*Firenze*), in Porticu Lanceariorum (*Loggia dei Lanzì*) invenitur.

Post Amphiteatrum Flavium anno 217 PC incendio laesum ludi gladiatorii Stadio Domitian dabantur. Certamina tamen gymnastica hic antiquitus semper principalia manebant ac etiam anno 356 PC celebrata fuerunt. Stadium fuit a Severo Alexandro (regnavit annis 222 – 235 PC), sine tamen ulla immutatione in aedificii formam generalem illata, restauratum, quam ob rem haec structura Stadium Alexandri Mediis aevis aliquando apellabantur.

Saeculo VIII, supra caveam in medio spatio lateris eius occidentalis parva ecclesia Sanctae Agneti hic martyrium ut traditio dicit passae dedicata erigitur. Labente tempore et cavea tota in substructionem aedificiorum forum amplissimum nomine *Piazza Navona* circumstantium conversa est. Cuius fori margines exacte lineamentis antique arenas respondent. Inclitissima autem monumenta hic visibilia sunt artis barocae opera circiter dimidium saeculi septimi decimi facta, scilicet posita in loco pristinae ecclesiae Sanctae Agnetis (*S. Agnese*) in Agone, opus architectorum Caroli et Hieronimi Rainaldiorum (*Carlo et Girolamo Rainaldi*) atque Caroli Borrominii (*Carlo Borromini*), Palatum Pamphiliorum (*Palazzo Pamphilj*), opus Hieronimi Rainaldii atque duae salientes aquae Iohannis Laurentii Berninii (*Gianlorenzo Bernini*). Harum alteram, Fontem Quattuor Amnum nominatam Aegyptiacus ortu obeliscus decorat, qui tamen ex Circo Maxentio apud Viam Appiam sito, non ex Domitiani stadio ad forum hoc decorandum sumptum est.

Reliquiae Stadii non solum sub terra tegumento et novis aedificiis sensim occultabantur, sed etiam nonnunquam, etsi raro, aperiebantur. Sic et signum supra memoratum fuit anno 1501 apud Palatum Ursiniorum (*Palazzo Orsini*) proxime foro *Navona* fortuito reperta. Signum illud in angulo huius palatii positum se in unam «statuarum fantium» (*statue parlanti*), quas Romani chartis cum acidis versibus personas potentes inclementer consequentibus contegere solebant, convertit ac nomen Pasquinum (*Pasquino*), cuius ortus incertus manet, in perpetuum adeptum est. Ille Pasquinus adhuc angulum idem palatii, nunc autem Brasciorum (*Palazzo Braschi*) nominati, ornat.

Alia Stadii relicta, id est parietinae caementiciae latericiaeque, pilae cum arcubus ex lapide Tiburtino compositae atque caveae sedilia in subterraneo sub ecclesia Sancti Agnetis olim inventa aeque ac ordo graduum loco destructorum inter annos 1936 et 1938 aedificiorum

repertus, nunc fere intactus et antiquitus ad caveam conducens necnon frontis tabulati inferioris exteriore parts sub palatio novo *INA* in vicino foro Turris Rubrae (*Piazza di Tor Sanguigna*) sex metra in profundum adhuc manent et videri possunt.

Odeum: Erat aedificium ad meridiem a Stadio Domitiani (v. hic supra) situm, una cum hoc complexionem formans et aequa ad celebrandum Certamen Iovi Capitolino vel strictius dici ad certationes musicas huius certaminis destinatum. Quamobrem fuit eodem fere tempore ac Stadium constructum.


Quoniam aedificii destinatio fuerat a Graecis assumpta, etiam forma eius fuit Graeca. Nam ichnographiam habuit semicirculatam, quum cavea eius rotundatam partem occupavit, scaena autem latus rectum. Capacitas caveae magis decem milia audientium erat. Cuius caveae lineamentum exterius est hodie in convexa fronte priore Palatii Maximi ad Columnas (*Palazzo Massimo alle Colonne*) conservatum. Ante frontem posteriorem una column a antiqua ex marmore Carystio manet, quae est fortasse relictum scaenae Odei antiqui.



Pantheum sive

Pantheon: In campo Martio Pantheum quoque situm erat, unum illustrissimorum antiquorum aedificiorum, quae et hodie Romae visibilia sunt. Initio exstruxitur ab Agrippa annis 27 – 25 AC et fuit tunc aedes ichnographice rectangularis, dis planetarum, praecipue Marti et Veneri

dedicata. Porticum habuit et adhuc habet longe protinus excedentem, quam sedecim columnae, ex granito Aegyptiaco facti (earum octo in fronte) fulciunt. Apud introitum cellae, ab utroque latere antiquitus aediculae erant, in quibus stabant signa colossea Augusti principis et Agrippae, in cella tamen statuae deorum una cum statua Iulii Caesaris, colossea quoque et cultui destinata. Temporibus Adriani principis, circiter annum 125, post allatum ictu fulminis incendium consumptorem anni 110 PC, Pantheum reconstructionem passum est, cellam novam et cylindratam, vasto tholo tectam acquirens. Altitudo huius novae cellae, quae usque ad hodiernum diem manet, intus circa quadraginta quattuor metra explet ac tantidem latitudo eius. Tholus intrinsecus laqueare sumptuoso ornatus est, extrinsecus testis aeneis inauratis, quae nunc absunt, contextus erat.



Anno 609, nutu papae Bonifatii IV fuerat templum in ecclesiam Beatae Mariae et omnium Martyrum conversum, quod hoc aedificium a demolitione posterius vindicavit. Nec tamen in totum; nam anno iam 663 Byzantinus imperator Constans II, quum Romae adfuit, tegulas ex aere doratas de Panthei tecto absumi iussit, ut eae Constantinopolin traduceretur. Etiam trabes aeneae tectum in porticu Panthei ferentes erant inter annos 1623 et 1644 iussu papae Urbani VIII Barberini ablatae ad eas recoquendas in illustrem posterius Aulaeum Basilicae Sancti Petri, I.L. Berninio cogitatum, atque in gunnas Castelli Sancti Angeli. Quod facinus eodem tempore his verbis inclytis castigatum est: «Quod non fecerunt Barbari, fecerunt Barberini».

Isaeum Campense sive Serapeum Campense: Haec fanorum complexio extentam aream inter Pantheon et Via Flaminia (*Via del Corso* hodierna) occupans fuit potissime triumviris Antonio, Octaviano Lepidoque anno 43 AC facta et Aegyptiacis divinitatibus Isidi et Serapidi consacrata. Complexionis aedificia nostris diebus non exstant; detrusa enim sunt exeunte saeculo XV de locis suis a monasterio ecclesiaeque Sanctae Mariae supra Minervam (*Santa Maria sopra Minerva*), unica Romae in sensu artis Gotico exstructa, cuius nomen est ex falsa opinione ortum, ut priora hic posita fana Minervae, non Isidi, consacrata essent. Isaei ornatus erat locupletissimus; partes eius nonnullae adhuc etsi per loca varia dispersa mirari possunt. Quarum spectabilissimae et nobilissimae sunt obelisci parvae et modicae altitudinis, fere omnes ex Aegypto Romam invicti. Eidem hic infra enumerantur:

1. Obeliscus ante ecclesiam Sanctae Mariae supra Minervam, in homonymo foro (*piazza*) hodie locatus et secundum adumbrationem Ioannis Laurentii Berninii (*Gianlorenzo Bernini*) dorso barri marmorei [Hercule (*Ercole*) Ferrata sculpti] ab anno 1667 insistens quum onus theologicae sapientiae secundum inscriptionem latinam recentiori basi insculptam translative ostendens. Est anno 1665 in cavaedio (*claustro*) praedicti monasterii repertum, in Isaeo scilicet prius dicatus. Situs autem eius primus erat Sais in Aegypto, ubi eum rex Apries (ex domu regia XXVI; rexit annis 589 – 570 AC) erexit. Altitudo sine additamentis posterioribus est 5, 47 metra.

Hi autem obelisci sunt ad Isaeum plus minusve conjecturabiliter relati:

2. Obeliscus nunc in Foro Templi Rotundi (*Piazza della Rotonda*). Prius locatus erat apud ecclesiam Sancti Machuti seu Maclovii (*San Macuto*), appellatus tunc in diversis Urbis descriptionibus Acumen Sancti Machuti (*Guglia di San Macuto*), sed anno 1711 fuit a papa

Clemente XI in praesentem locum, id est in medium aquam salientem adversus Pantheon (*Rotonda*) sitam translatus. Primitus durabat Heliopoli rege Ramsete II (ex domu regia XIX; rexit annis 1279 – 1213) erectus . Fuit iussu Domitiani (inter annos videlicet 81 et 96 PC) Romam invictus et Isaeo collocatus. Altitudo sine additamentis posterioribus est 6, 34 metra.

3. Obeliscus nunc in horto apud Forum Therminorum (*Piazza dei Termini* ante stationem ferriviariam *Termini*) et rudera Thermarum Diocletiani positus. Fuit anno 1883 ab archaeologo Rudolpho Lancianio (*Rodolfo Lanciani*) prope Sanctam Mariam supra Minervam repertus et anno 1887 pro signo in honorem quingenti occisorum in proelio ad Dogali in Aethiopia erectus. Primum Heliopoli stabat, supramemorato Ramsete II ibi collocatus et postea Romam ad Isaeum Campense ornandum iussu Domitiani evectus. Altitudo 6, 34 metra.

4. Referunt saepe ad idem delubrum et alium obeliscum, qui hodie in foro «In Agone» (*Piazza Navona*) manet aquam salientem decorans Quattuor Amnium (*Fontana dei Quattro Fiumi*) nuncupatam. Ille est ratione Berninii ac iussu papae Inocentii X anno 1649, uno scilicet anno post recompositionem obelisci ex quinque nanctis fragminibus eius in vertice spectabilissimae structurae signis ornatae constitutus. Factus autem est aetate Domitiani et est exempla Aegyptiaca una cum eorum hieroglyphis imitatus. Hic obeliscus Maxentio, qui annis 306 – 312 PC rexit, in circum suaे villae apud Viam Appiam anno 309 translatus fuit ac posterius, id est saeculo quinto se fraxit derutus. Altitudo sine additamentis posterioribus est 16, 53 metra.

Alii obelisci ex Isaeo Campensi orti sunt hodie in Hortis Bobolianis (*Giardini Boboli*) Florentiae (*Firenze*) et in Urbino.

Nonnulla etiam praeter obeliscos opera artis in vicinitate Sanctae Mariae supra Minervam diebus nostris durantes putantur cum Isaeo Campensi ortu suo coniuncta esse. Hae sunt: 1) feles marmorea in angulo Palatii Gratiolorum (*Palazzo Grazioli*), in via Felis (*Via della Gatta*) locati, visibilis; item 2) statua ex numero «fantum» (de quibus v. supra Stadium Domitiani), usque ad pectus servata, vulgo *Madama Lucrezia* appellata, quae deam Isidem primitus potissime ostendebat at hodie in foro Sancti Marci (*Piazza di San Marco*) aspici potest; denique 3) pes ingens marmoreus, qui est fragmen de simulacro Isidis colosseo in cavaedio interno Isaei locato restans et nunc in via Sancti Stephani de Cacco (*Via di Santo Stefano del Cacco*) inveniendum; 4) postremo statua de via Simiae (*Via del Babuino*), etiam ex «fantum» numero, propter sui vultus deformitatem *Babuino*, qui est simiae species, vulgo nominata et olim sub Iove (nunc autem in Musaeis Vaticanis) visibilis.

Hadrianeum sive Templum Divi Hadriani: Erat apud marginem occidentalem Viae Latae positum, haud procul ab Isaeo Campensi Pantheoque distans. Eum Antoninus Pius anno 145 PC aedificavit et suo decessori deificado Hadriano (regnavit annis 117 –138 PC) dedicavit.

Constabat in medio foro, forma quadrangulo, cincto porticibus et ad Viam Latam aperto. Porticus autem columnis ex Phrygio marmore (*giallo antico*) fulta erant, quum introitus ad forum hoc sumptuoso arcu, **Antonini arcu** appellitato, honorabantur.

Templum sicut et forum ad Viam Latam, ad orientem videlicet, sua fronte spectabat. Eius podium ex tofo speciei satis firmae (*peperino*) constructum fere quattuor metra in altum habuit atque gradibus ante ostium cellae ornabatur. Columnarum dispositione numeroque peripteron octostylon erat cum denis ternis columnis in utroque latere longo. Ipsae autem columnae erant Corinthiae striatae, ex albo marmore factae, 15 metra in altum et 1, 44 in crassum habentes, quum epistylium Templi leonum capita caelata et caelatae palmulae decorabant.



Cellae parietes tofinei (ex eodem *peperino* in opere quadrato constructae) erant marmore crustati. Cella intus apsidem non habuit et erat semicirculato fornice contecta, quem binus ordo pilarum sustinebat ipse bino pluteo fultus. Utriusque plutei latus erat caelatis tabulis (hodie Romae, in cavaedio Palatii Conservatorum (*Palazzo dei Conservatori*) expositis) decorata. Quarum caelaturarum argumenta sunt: a) sub pilis figurae humanae provincias Romanae imperii allegorice monstrantes ac inter eas: b) vexilla et arma.

Temporis lapsu aedificium Templi non periit, sed se penitus immutavit. Interea saeculo XVI



Arcus Antonini tunc *Arco dei Tossetti* nominatus fuit omnino destructus, quum porticus Templum cingentes multo ante. Restans autem de Templo dextrum latus cum undecim columnis nondum destructis et parte epistylie fuerat architecto Francisco (*Francesco*) Fontana secundum eius patris, Carolis Fontanae (*Carlo Fontana*) descriptione anno 1695 in novum aedificium Telonii Terreni

(*Dogana di Terra*) pontificalis inclusum. Tunc antiquae columnae extrinsecus visibles manserunt, intercolumnii tamen fuerunt recentiore pariete clausae. Anno 1928 Tullius Passarellius (*Tullio Passarelli*) aedificium hoc in Chrematisterium (*Borsa*) convertens illum

parietem novum abstulit. Simulac Templi gradus una cum podio fuerunt usque ad antiquum terrenum effossi et apperti relictii. Forum parvum hoc monimentum nostris diebus circumfundens Forum Lapidis (*Piazza di Pietra*) appellatur.

Saepta Iulia sive Saepta simpliciter: Amplum aedificium in parte Campi Martii occidentali extensem. Fuit nutu Caesaris et cura sumptuque Ciceronis ad comitia tributa (id est suffragia popularia) loco structuae prioris e tabulis factae et eodem fini destinatae (cuius nomen Ovile erat) construi inchoatum (C Ad Att. IV, 17, 7: «efficiemus rem gloriosissimam; nam in campo Martio saepta tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum (id est circiter sesquichilometrum – *L.T.*) conficiatur. Simul adiungetur huic operi villa etiam publica.»). Deinde, post mortem amborum Lepido construebatur. Postremo fuit Agrippae cura paene completum, anno 26 AC dedicatum et Saepta Iulia nuncupatum. Anno autem subsequente Agrippa huic operi partem postridie famosissimam, scilicet Porticum Argonautorum astruxit.

Saepta formam longi rectanguli utroque latere longiore ad solis ortum occasumque spectantis ichnographice habuerunt ac terrenum 300×95 (aut 400×60 ut alii putant) metra magnum occupaverunt. Constabat ex duobus membris architectonicis principalibus, scilicet ex aedificio tecto capacique partem areae medium habente et ex porticibus illud omni latere cingentibus sive quadriporticu, quae est forma in architecturam Romanam a Caesare introducta.

Aedificium medium fuerat sex ordinibus columninum enīsum ex tofo lapideque Tiburtino factorum et parietibus intergerivis coniunctorum, quam ob rem domus haec in octoginta aedes divisa exstitit. Porticus autem procerae aedificium dictum circumstantes erant ex numero frequentissimorum Urbis (Sen De ira I, 8, 1), dilectae maxime a spatiatoribus desidibus novas preciosasque merces se ibi vendentes videndi cupidis (M II, 14, 5; 57, 2; IX, 59, 1; X, 80, 4). Hic et artis quoque opera in conspectu omnium exposita erant sicut Plinius Maior (XXXVI, 29) memorat, gemina signa dua ignoti auctoris valde laudans, alterum «Olympum et Pana» (Olympum tamen studiosi antiquitatis pro Daphnide per lapsum hic Plinio nominatum putant et in hoc signo exemplum multarum imitationum antiquarum hodie exstantium hellenistico tempore creatum vident), alterum «Chironem cum Achille», quae opera argumentis suis ad institutionem pueri fortasse pertinentibus inter se coniuncta erant et, quod cum ita sit, uno loco in porticu stabant.

Porticum pars notissima, id est Porticus Argonautarum, latus Saeptorum occidentale formabat, pars vero contraria ad solis ortum versa erat appellata Porticus Meleagri; utraque fortasse propter argumenta effigierum eas decorantium nomina sua ducebant. Quales tamen erant illae effigies, utrum picturae an signa, clarum non est.

Scripta antiqua significant aedificatum in Campo Martio ad computanda suffragia Diribitorum cum Saeptis quodammodo coniunctum fuisse. Homines tamen docti dubitant, utrum ea stuctura hodie omnino iam absens Saeptis antiquitus adiacebat an erat pars harum? Opinio persuasibilissima vult Diribitorum superiorem tabulatum Saeptorum fuisse. Nam paucae eorum parietinae sua crassitudine insolita persuadent Saepta bitabulata fuisse. Fama Diribitorii magna erat et tecti latitudo multum ad famam illam attulit. Tigna enim ex larice pondus tegularum sustinentia erant centum pedes in longum et supra latissimum in Urbe spaciū tegendum iacebant. Aedificatio Diribitororii Agrippa inchoavit, Augustus vero eam anno 7 AC ad finem perduxit. Plinius Maior (XXXVI, 102) tectum illius inter quattuor “pulcherrima operum, quae umquam vidit orbis” numerat.

Magnum incendium anno 80 PC Saepta ac Diribitorum destruxerat, sed ambo fuerunt paulo post restaurata. Restauratio autem posterior annis Hadriani (117 – 138) effecta fuit. Si tamen Cassio Dioni (LV, 8) credendum sit, huius etiam tempore (id est saeculo tertio PC ineunte) Diribitorum sine tecto ad restaurandum propter eam eximiam latitudinem non idoneo staret.

Praetermentiones in fontibus litterariis de Saeptis non multa exstant. Quae sunt fragmen Formae Urbis et parva reicta ipsius aedificii.

Thermae Agrippae seu Thermae Agrippianaē: Balneorum publicorum et ergo magnorum in Urbe constructorum thermae hae vetustissimae fuerunt. Sitae erant inter Pantheum et Pompei porticum necnon Saepta Iulia et Odeum. Erexit autem eas M. Vipsanius Agrippa, socius Augusti virque in re militari aequa ac publica praeclarus.

Primordium Thermarum est ad quintum et vicesimum annum AC referendum. Eo tempore id est quando et Pantheum, laconicum (alio verbo sudatorium sive balneum vaporis aridi, saunarum nostri temporis non dissimile) in constructurarum Termarum loco exstitit. (Cass. Dio LIII, 27,1). Deinde, anno undevicesimo fuit etiam Aqua Virgo ad aquam Thermis praebendam completa. At posterius, anno duodecimo AC, scilicet mortis suae anno, Agrippa Theras suas iam tum confectas et operibus artis decoratas Urbis populo ad usum gratuitum reliquit (Ibid. LIV, 29, 4).

Aedificium Thermarum erat sicut Pantheum a meridie ad septentrionem extensum atque in eodem axe et hoc templum iacuit. Eius area erat circiter 120 metra in longum et 80 – 100 in latum. Limites eius antiqui hodie a talibus viis notantur: orientalis a via Opificum Fiscellarum (*via dei Cestari*), occidentalis a via Turris Argenteae (*via di Tor Argentina*); limes autem septentrionalis plus ad septentrionem a hodierno Cursu Victorii Emmanuelis (*corso Vittorio Emanuele*) transivit.

Caldarium, quod in posterioris aetatis thermis (imperialibus quoque vocatis) in axe medio locatum est, hic ad orientem ab eo fuit amotum. Specularis similitudo partium ab utroque latere

axis medii iacentium, quae illis thermis est propria, in Thermis Agrippae fuit non solum locatione caldarii turbata, sed magis etiam dispositione manufacti Stagni et Hortorum Agrippae, Thermarum complexioni additorum ad harum occidentale latus. Haec dispositio inordinata Thermas Agrippae satis distinete a serie futurarum thermatum publicarum Thermis Traiani (v. supra) inchoatura secernit, sed eas simillimas illis Thermis fecit, quarum rudera adhuc in Augusta Treverorum (*Trier*) videri possunt.

Interiora Thermarum erant, ut Plinius Maior (XXXV, 26; XXXVI, 189) nobis tradit, in parietibus picturis decorata, parvis magnitudine et appulsu ardoris humorisque caducis, ut videtur; nam prima iam restauratione peracta fuerant ablatae (PM XXXV, 26). Ante autem Thermas consecratus erat praeclarus *Lysippi Apoxiomenos* (latine «destringens se»: PM XXXIV, 62), ex aere fusus et caelatus, cuius imitatio marmorea, unica extans, anno 1849 Romae, in regione Trans Tiberim (*Trastevere*) reperta fuit atque hodie in Musaeis Vaticanis manet. De archetypo signi Plinius (*Ibid.*) talia refert: «[Tiberius] non quivit temperare sibi in eo [id est in cupiditati, ut Apoxyomeno potitus fuisset], quamquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum alio signo substituto, cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut theatri clamoribus reponi apoxyomenon flagitaverit princepsque, quamquam adamatum, reposuerit».

Anno 80 PC Thermae fuerunt incendio valde laesae (Cass. Dio LXVI, 24), sed probabilissime est eas iam a Tito (regn. annis 79 – 81 PC) seu Domitiano (regn. 81 – 96 PC) restauratas fuisse, quoniam frequentia earum a Martiale (III, 20, 15; 36, 6) clare notata est. Restaurationem subsequentem Hadrianus (regn. 117 – 138 PC) effecit (Hist. Aug., Hadr. 19). Princeps ille pristinum aedificium longiorem reddidit, ordinem aularum huic addendo, qui se usque ad Pantheon extendit. Aula ultima angusto latere cellam huius templi attingens est earum aularum sola, cuius relicta hodie exstant. Haec erat multo longior, id est 45 metra, quam latior, 19 metra, cum apside ad septentrionem vergente et novem metra lata. Ad utrumque latus longius quaternae columnae ex granito rubro et lapide (proprie marmore) Phrygio (*pavonazzetto*) stabant. Ternae aediculae, quarum singulae superne semicirculæ inter binas rectangulas positæ in lateralia intercolumnia aperiebantur. Parietum summus margo erat librata fascia eleganter effecta atque corona redimitus. Aetate non prius quam Severo Alexandro regnante erecta fuit aula rotunda paulo ad septentrionem a medio aedificio amota. Haec erat amplio, quinque et viginti metra in dimetiente lato atque (primum notorum exemplorum talium) costas in vertice convenientes habente tholo coniecta vocitataque hodie suo posteriore, non serius quam anno 1505 oborto nomine Arcus Tortulæ (*Arco della Ciambella*); erat locus fortasse contionum frequentium visitatoribus post balnea actorum. De hac structura hodie fragmen solum parietis (10 metra in altum) in situ manet inter duas domos recentiores compressum et partim visible.

Sensim procedens Thermarum destructio non serius quam septimo seculo incepit, nomen enim Calcarii ad vicinum locum Aevis Mediis adhibitum (*Mirabilia* 23) indicit marmor illarum ibi trans ignem in calcem tunc assidue conversumsum fuisse. Antiquitatum tamen studium aetate Renascentiae excitatum forte fortuna rudera eius monumenti etiamtum melius conservatas invenit. Lineamenta pictorum architectorumque quum illius tum posterioris aetatis (una cum fragmine Formae Urbis ichnographiam Thermarum ostendente) videntur fundamenta gravissima nostrae notitiae de monumento fuisse, quoniam eventa effossionum nimis exigua reperta sunt. Ex numero lineamentorum tria praecipue significantia apparent esse: alterum Balthasari Perutii (*Baldassare Peruzzi*) in Officiis Florentiae (*Uffizi, Firenze*), alterum Ioannis Sallustii Perutii ibidem ac tertium Palladii in Thesauro Devoniano (*Devonshire collection*) custoditorum. Aspectus autem praedictae Arcus Tortulae est in adumbrationibus septimi decimi saeculi, quum etiam ille prope integer durabat, defixus est.

Thermae Neronianae seu Thermae Neronis: Secundae post Agrippinas (v: supra) Thermae publicae in Urbe constitutae. Iussu Neronis (Su Nero 12; AV Ep. 5; Eutr VII, 15) anno inter 62 PC et 64 apud Pantheon oxortae hae mox populo gratae frequentesque exsisterunt. Area Thermarum habuit formam rectangulam, 190 metra in latum et 120 in profundum, extendentem se a parte septentrionali Panthei usque ad Domitiani stadium (v. supra). Ordo aularum principalium de ostio ad septentrionem verso usque ad caldarium in meridie dispositum trans frigidarium atque tepidarium inter illa collocata secundum medium aedificium protrahebatur. Ampla cavaedia columnis ornata ab utroque latere tepidarii, quum loca quattuor ad vestes custodiendas et otium agendum a sinistra et a dextra caldarii posita fuerunt.

Thermae Neronis anno 227 PC Severi Alexandri tum regentis iussu restrictionem passae erant, ex quo Thermae Alexandrinae appellitari ab hoc tempore cooperunt. Hodie tales Thermarum reliquiae, quae supra terram in situ appareant, praeter parietinas in constructionem Palatii Dominae (*Palazzo Madama*) inclusas, absunt. Effossiones tamen diversorum temporum nonullas partium spectabilissimarum aedificii aperuunt. Quas apertas inter quattuor columnae sunt ex granito rubro sculptae [earum duae papa Alexander VII (regnavit annis 1655 – 1667) usus est ad restaurandum sinistrum angulum pronai in Pantheon], item fragmina columnarum varia, quae sunt capita ex marmore albo et scaporum ex porphyride, Phrygio marmore (*pavonazzetto*) et cano granito frusta magna; necnon labrum ingens ad aquam salientem ex uno lapide graniti rubri factum ac dimicentem 6, 70 metra habens.

Columna Antonini Pii: Illa columna triumphalis statuta fuit in memoriam principis Antonini Pii a filiis eius adoptivis M. Aurelio et L. Vero supra collem, qui hodie *Montecitorio* nominatur; partem effecit unitatis architectonicae, quae Ustrina erat. Facta ex solido granito rubri coloris atque circa 15 metra altitudinis habens, exsurgebat illa supra caelata basi cubica ex



in terram sepelita, nemini accessibilis manebat usque ad annum 1703, quando fuit effossa.



decursum equitum, qui est ritus solemnis, caerimoniam deificationis comitatus.

marmore albo et ferebat in vertice suo statuam principis celebrandi. Columna ipsa hodie amissa est; nonnullae partes eius tantum ad reparationem Obelisci Augusti (v. infra Solarium Augusti) usi fuerunt. Basis autem omni parte bene conservata est, propterea quod,

Diebus nostris moratur illa in Vaticani Cavaedio Pomae Abiegnae (*Cortile della Pigna*). Tres latera eius caelatis figuris, at unum inscriptione dedicatoria, exornata sunt. Latus principale, in septentrionem, scilicet ad Ustrinam versum, ostendit Apotheosin Antonini Pii et eius uxoris Faustinae, quos genius volans ala eius dextra sedentes sursum fert. Caelaturaे utriusque alterius lateris monstrant



Columna Marcii Aurelii: Adhuc suo pristino loco stans, qui hodie Forum Columnae (*Piazza della Colonna*) dicitur, et conservata benissime, Columna Marcii Aurelii Antonini erecta fuit ad occasum a via Lata inter annos 176 et 193, ut posteritati traderet illius principis famam militarem. Facta est ad exemplum Columnae Traiani, et etiam altitudo eius aequat in summa illius altitudini, centum pedes Romanos (qua de causa nomen Columnae Centenariae antiquitus habuit), id est circiter 30 metra explens, quamquam crassitudo scapi eius minor est. Sicut ibi, quemadmodum hic columnae scapum, ex marmore Lunensi sculptum, fascia caelata,

cochlide sursum ascendens, cooperit. Caelaturaem memorant res gestae et victoriae M. Aurelii in eius bellis adversum Marcomannos et Sarmatas annis 172 – 175. Columna plinthidem atque



torum infra habet, imitationibus foliorum querceorum ornatum, supra autem effigies M. Aurelii eam decorabat. Sicut et Traiani cassa est illa columnă intus atque scalis helictis ad verticem ducentibus munita est. Fulcitur basi quadrata, cuius latera olim caelaturas habuerunt, serta ac Victorias, quae ad sacrificia ministrant, figurantes.

Anno 1589 – 1590 columnă mutationes suaē historiae gravissimae passa est. Architectus papae Sixti V, Fontana reliquias antiquarum caelaturarum abscidit et cooperit basin marmore, de ruinis Septizonii, tunc erasis, comparato. Isdem etiam statuae principis Romani statuam Sancti Pauli substituit, adhuc ibi manentem.

Solarium Augusti: Hoc nomine forum quoddam in campo Martio antiquitus appellabatur. Superficies eius signis astronomicis cooperta fuit, ut serviat qualiter horologium solarium, cuius gnomon obeliscus Psammetichi Secundi (594 — 588 AC; domus regia XXVI),

fuerat, altitudinem 21, 79 metris et pondus circa 214 t habens. Eum Augustus princeps ex Heliopoli Romam transvehi iusserat et in hoc foro anno 9 AC posuit, instruens nova basi, duas inscriptiones latinas consecrantes ferente, qua de causa monumentum illud Obeliscus Augusti nuncupatum fuit. Nutu Facundi Novii, viri docti, qui hoc Solarium cogitavisset, erat obelisci vertex globulo inaurato ornatus ut extrema obelisci umbra quam clarissima esset definitioris horarum indicandi causa. Obeliscus ille Medio aevo de sua basi decidit et, anno 1748 AD in suo situ nanctus, erat anno 1792 in alio loco, ante Palatium Montecitorium (hoc est *Palazzo Montecitorio*, quo hodie parlamentum Italianum consedet) erectus est, quamquam sine basi pristina in priore loco relictus, et cum novo maioreque globulo in vertice. Interea antiquus globulus, ut nonnulli putant, idem est, qui in Palatio Coservatorum custoditur, diametrum 74, 15 cm habens et fulcimento angustiore instructus, idcirco fortasse ut umbra globuli de umbra obelisci clarius separari potuisse.

Mausoleum Augusti: Augusto triumphatore ex Aegypto Romam anno 29 AC redito aedificatio futuri sepulcri eo destinati anno 28 AC initium cepit confeciturque ante annum 23 AC. Opus illud, Mausoleum Augusti nominatum, in ea parte Campi Martii, quae ad septentrionem vergit, et inter viam Flaminiam ripamque Tiberis, ut Suetonius (Aug. 100) refert, institutum fuit. Eius forma ex brevi descriptione, quam Strabo (V, 3, 8) dat, etiam ex postantiquorum temporum testimoniis atque reliquiis nunc in situ exstantibus appetet. In ea, sicut ex reconstructionibus doctorum theoreticis videri potest, proprietates Alexandro Magno in Alexandria Aegyptiaca exstructi Mausolei ac etiam Tuscarum structurarum funebrium coniunctae fuerunt. Mausoleum rotundum ichnografice est; ossatura eius constat ex parietibus operis cementicii quinque circulos concentricos informantibus, quorum externus lapide albo, Tiburtino aut marmore, iam pridem toto direpto, contectus dimetientem habet 87 m. Porta Mausolei ad meridiem spectat et antiquis temporibus erat utrimque extrinsecus duobus obeliscis, fere 15 m altis, ad exemplum regalium sepulcrarum Aegyptiacarum ornata. Hi obelisci de aliis, qui tempore Augusti Romae fuerunt erecti (v. Circus Maximus et Solarium Augusti), eo differunt, quod iussu principis atque domi, non Aegypto, facti sunt. Item anno 14 PC, obeliscis forsitan praefixa, saltem iuxta eos positae due tabulae aeneae cum insculpta in eis inscriptione Rerum Gestarum Divi Augusti fuerunt (ceterum placet nonnullis doctorum hos obeliscos temporibus Domitiani factos et eo loco positos esse). Circularis ambulatio cum tribus aediculis pro urnis funerariis conclave medium cingit, quo cineres Augusti olim servabantur. Supra circulum albi lapidis tumulus subrigebat, quem arbores (ilices vel cupressi vel, ut nonnullis placet, iuniperi) vestiebant. Haece colligatio tumuli atque lapidei circuli (crepidinis) infra eum iacentis est quod proprietatem Tuscam supranominatam fecit. Supra tumulum tamen stabat rotunda structura columnis cincta, quae videtur esse basin signi colossei ex aere facti et Augustum imitati (eum

quoque Strabo memorat; v. s.). Altitudo omnis Mausolei sine simulacro illo prope 44 m. erat. Plurimis expertis doctis placet simulacrum Augusti prope singulum ornamentum plasticum aedificii iam primitus fuisse, quod testificatur studium severitatis videndae, auctores Mausolei moderatum aequa ut sensum artis aetate Augustana regnantem. Sicut multa alia opera Augusto imperante constructa, Mausoleum collocatum fuit in aream, otio populi paratam: circa eum horti publici consiti erant, semitis ambulatoriis muniti.

Tempore mediaevali Mausoleum nomen Montis Augusti habet. A familia Columna (*Colonna*) in arcem conversa patiuntur anno 1167 eius adhuc bene conservata rudera una cum superstructa arce magnum excidium. Saeculo XVI inter reliquias Mausolei hortus fiet, deinde circus, postea capax odeum, Augsteum (*Augsteo*) nomine. Anno 1936 odeum tollitur et ab hoc tempore Mausoleum conservatur et frequentatur solum pro antiquitatis monimento. Tumulus autem et quae insuper, in his etiam Augusti aeneum signum, iam dudum interita sunt. Quod ad obeliscos ante portam positos pertinet, uterque in situ anno 1527 reperitur. Alter eorum, 14, 75 m altus, anno 1587, iussu papae Sixti V ac opera architecti eius D. Fontanae in Forum Esquilini (*Piazza del Esquino*) transportatur et ante basilicam patriarchalem Sanctae Mariae Maiorem (*Santa Maria Maggiore*) constituitur. Alter quidem, 14, 63 m altus, anno 1786 iussu papae Pii VI et opera architecti Antinorii in Forum Quirinalis (*Piazza del Quirinale*) defertur et iuxta Dioscuros, statuas ex Thermis Constantini (v.) ponitur. Quibus locis uterque et hodie manet.

Ara Pacis Augustae: Est unum de quattuor Campi Martii monumentis, ad septentriones spectantibus et glorificationis Augusti gratia dispositis, quorum alia Solarium, Mausoleum et Ustrina sunt. Antiquitus situm erat prope viam Flaminiam (quae hodie *Corsso* vocatur) plus ad orientem quam Solarium et plus quam Ustrina et Mausoleum ad meridiem. Eius peculiare propositum fuit Augustum pacificatorem provinciarum occidentalium, Galliae et Hispaniae (in



quibus is rebelliones
populorum indigenorum
domuerat) et pacem Romae his
gestis illatam celebrare.
Aedificatio Arae anno 13 AC
ab Senatu decreta fuit et anno 9
AC illa, iam aedificata,
solemniter consecravitur.

Ara Pacis, prope tota
marmorea (ex Lunensi
marmore praeter fundamenta,
quae ex Tiburtino lapide facta

sunt, et nucleus tofinum suggestus interioris), constat ex ara proprio nomine, sub Iove supra suggestum gradatum posita victimarum sacrificandi gratia, et saepto eius quadrato. Saepti latera longitudinem habent: meridionale et septentrionale 11, 63, ad orientem et occidentem vergentia 10, 625 metra. Hoc utrumque latus singulos, quamvis laxos introitus habet. Ille ad occidentem versus principalis est: gradibus ante se instructus est et aditum rectum ad altaria aperit.

Ara Pacis ubique et profuse caelaturis exornata est. Omnia hic sunt figuris caelatis cooperta, ut saeptum sic ara. Aram sensu proprio fascia ornat librata et caelata, 39 cm alta et processionem sacrificalem figurans. Saeptum componentes parietes utruberque caelaturis decoratae sunt intus et extra in binas zonas divisus. Superficie intro versae zona superior ornata est ordine sertorum fructibus abundantium et inter bucrania (calvas boum) subterque pateris pendentium. Zona inferior formata est in faciem saepti agresti modo tabulati, quod factum est aetatis Augustanae cum sacra vetustate Romulea contexendi causa.



propinqui et necessarii, magni sacerdotes aliaeque personae graves lictoribus comitantibus inveniuntur.

In brevioribus lateribus argumenta sunt alia. Sitae ab utraque parte introitus principalis et ad occidentem vergentes caelaturaे duae memorant historicas traditiones de Romae origine.

Dextera Aeneam monstrat, Italiam per mare adeptum ac deis libantem. Sinistra, quamquam male conservata est, tamen eius fragmina aestimare patitur hic deum Martem armatum apparuisse cum filiis suis Romulo et Remo, apud speluncam lupae, utriusque fratris altricis.

Quamquam argumentorum collocatio in latere orientali eadem est ac in occidentali, sed ipsa argumenta illic allegorica nec vero historica sunt. A sinistra figurata est Mater Tellus in forma puellae sedentis et duos infantes supra suam gremium tenentis. Eam circumveniunt indicia ubertatis naturalis atque aliae duae puellae, dimensione minores, quae ut placet elementa naturae, aquam et aera significant. A dextra dea Roma videtur, sedens quoque.

Multo autem notabilius apparent ornamentum superficie exterioris, sive, proprio sensu, huius ornamenti zona superior, altitudinem 1, 55 metra habens. Hic, in lateribus longioribus, meridionali scilicet et septentrionali, pompa ad sacrificium spatiata ostenta est, inter cuius participes Augustus ipse, pompam praecedens, eius

Zona inferior ex contrario figuris non narrativis (ornamentalibus) decorata est. Hae figurae sunt acanthi folia, flores et suboles cum caulibus exquisita et multiplicita lineamenta formantes, quos inter vivunt aves, lacertae, ranae, insectae etc. Inveniuntur quoque olores (olor, avis Apollonis, Augusti fautoris opinati) in statu heraldico.

Novem de Ara Pacis relicta fragmina magna sunt anno 1586 sub palatio Pereitorum (*Palazzo Peretti*) reperta. Annis tricesimis undevicesimi saeculi Ara in antiqua sua forma recomposita fuit et anno 1938 in papilione vitreo exposita, non longe a situ pristino, prope hodiernam viam, quae *Ripetta* vocatur, et Tiberis ripam. Ceteroquin fere omnia fragmina cum sertis nunc frontem Villae Medicorum (*Villa Medici*) in monte Pincio decorant atque unum magnum in Lutetia Parisiorum, in Lupara (*Louvre*) manet.

AGER EXTRAMURANUS CAMPO MARTIO ADIACENS seu CAMPUS VATICANUS,

:

Circus Vaticanus seu Gaii et Neronis: De Circo Vaticano non multa nota et quae nota non omnia clara sunt. Constructus fuit ab Caligula principe suaeppe voluptatis gratia, in valle inter colles Vaticanum et Ianiculum, loco insalubri, quo Agrippina Maior, eius mater et neptis Augusti hortos suos (Hortos Agrippinae vocatos) antea disposuerat. Praeter Caligulam et subsequentes duos principes, Claudium atque Neronem, hic delectari iuvabat. Caligula tamen is erat, qui uno suorum dedicationum Circo famam historicam comparavit. Nam instituit altus (circa 26 metra) et gravis (326 t) obeliscus Aegypto evectus qui quamquam contra usum Aegyptiacum inscriptionum hieroglyphicorum privus (cur adhuc neque tempus neque certus locus eius originis definiri potest), sed Latina inscriptione, hoc monumentum nomine Caligulae Augusto et Tiberio dedicanti, exornatus est. Eum obeliscum anno 1586, temporibus papae Sixti V architectus eius Domenicus Fontana in medio foro ante Basilicam Sancti Petri in Vaticano (*Piazza di San Pietro*) statuit, inscriptionem Christianam nomine Sixti V ad basin addens. Globulus autem lapideus (diametrum 80, 50 cm habens), qui antiquis temporibus verticem obelisci decorabat, nostris diebus in Palatio Conservatorum (*Palazzo dei Conservatori*, parte componenti Musaeorum Capitolinorum Romae) custoditur.

Mausoleum Hadriani: Initiatum Hadriano principe (regnante annis 117 – 138 PC), ut sepulcrum eius magnificum ad instar mausolei Augusto pro se facti fuisset, erat hoc monimentum iam successore Hadriani, Antonino Pio anno 39 PC completum. Collocabatur in ripa sinistra Tiberis, iuxta exitum a ponte Aelio uno axe cum illo coniuncto – iter enim rectum breveque de ponte ad Mausolei portam ducebat – et unam complexionem conformante. Sumptuosus arcus erat ostio Mausolei praepositus. Aedificii pars inferior sive podium formam quadri cum lateribus 86 metra ichnographice habuit, quum altitudo eius metra decem explebat.



Parietes podii erat ex Tiburtino lapide atque tofo constructi et marmore Lunensi crustati. Summos autem parietes fascia cum bucranio decorabat, quum angulos parastades annotabant.

Item supra podium cylindrata structura ex opere caementicio facta, lapide Tiburtino vestita ac striatis parastadibus decorata

erigebatur, 24 metra in altum et 64 in dimetientem habens. Parietem cylindri teste Procopio (BG I, 22) signa marmorea viros cum equis monstrantia coronabant. Superius tumulus arboribus consitus apparebat, quem insuper quadriga aenea cum effigie Hadriani in curru stantis cumulabat.

Subter autem, intra podium rectus longusque transitus (dromos aliter) ab ostio usque ad aediculam simulacrum Hadriani colosseum continentem (cuius caput extans in Musaeis Vaticanis hodie custoditur) ducebat et simul ad initium ascensus cochleati, qui ad conclave sepulcrale in medio tumulo celatum evadebat ac est etiamnunc transmeabile. Conclave illud erat quadrata et marmore multicolore intus crustata. Totam autem Mausolei structuram saeptum circumdabat cancellis et aeneis pavonibus auratis decoratum. Quorum pavonum duo nunc in Vaticano videri queunt.

Mausoleum erat in munitiones Urbis annis 401 et 402 PC videlicet Honorio regnante inclusum ex quo tempore et usque ad saeculum undevicesimum pro turri militari et castello fungebatur. Lapsu temporis monumentum hoc fuit suis decoraminibus et crustis antiquis omnino exutus, tamen simul nova decoramina adeptum est. Nam ab exeunte saeculo quarto decimo ille locus perfugium papale exstitit, quem splendidae capellae oecique magnifici praestantibus artificibus depicti ornabant atque longissima cryptoporticus (*Passetto di Borgo*) cum Vaticano coniungebat. Nomen autem suum hodiernum, id est Castellum Sancti Angeli (*Castel di Sant'Angelo*) datum est eo in memoriam apparitionis Michaelis archangeli pontifici Gregorio Magni anno 590, quum Michael super Castello visus Gregorio finitam tandem Romae saevam et ingentem pestem nuntiavit. Quam ob causam et simulacrum archangeli adhuc supra aedificium loco peritae quondam quadrigae Hadriani insistit.

Saeculo vicesimo Castellum fuit in museum publicum (*Museo Nazionale di Castel Sant'Angelo*) conversum.

INSULA TIBERINA: Unica insula fluvialis in spaciū Urbis inclusa ac adversus theatra Marcelli Balbique iacens. Italiana eius nomina sunt: hodierna *Isola Teverina* sive *Isola Tibertina*, obsoletum autem *Isola di San Bartolomeo*. Huius loci sanctitas erat antiquitus ea traditione maxime definita, quae vult anguem Aesculapii Romam una cum huius dei simulacro anno 292 AC invectum navem qua affuerat sponte sua reliquisse et erepto Tiberinam insulam ibi sedem suam collocavisse. Quam ob causam et templum Insulae principale Aesculapio in honorem eius eventi consecratum (**Templum Aesculapii**) exstitisse putabatur. Nec fortuito sed ad commemorandum Aesculapii adventum insula haec, quae circumscriptione ipsa est cuidam navigio similis, per constructionem parietum insulares ripas firmantium navi Romano multo magis assimulata fuit. Parietis autem pars magna ex Tiburtino lapide facta, quae puppim eius navis fingebat, etiamnunc in orientali parte Insulae videri potest, quum obelisci relicta navis malum imitati in musaeo Neapolis (*Napoli*) custodiuntur. Quarum reliquiarum investigatio ostendit parietem eodem fere tempore quam pontes duos Insulam cum ripis oppositis coniungentes, id est Fabricium (anno 62 AC) et Cestium (70–42 AC; ambos v. infra) constructum esse. Quamquam forma navale Insulae praedita testatur hunc locum Aesculapio totum consecratum fuisse, constat tamen aliorum etiam divinitatum fana hic antiquitus exstitisse.

ALIA MONIMENTA:

PONTES:

Pons Aelius sive **Pons Hadriani**: Fuit aedificatus anno 134 PC, architecto, ut suspicatur, Demetriano, ante Mausoleum Hadriani ad huius aream ex ripa Tiberis sinistra accessu facilem faciendam.



Appellationem suam «*Aelium*» ex Hadriani cognomine dicit. Est ex firmo tofo (*peperino*) constructus et lapide Tiburtino vestitus; metra autem 10, 95 in latum habuit. Pars eius media erat arcubus tribus semicirculis, quisque 18, 39 metra in latum, fulta et

ex utroque fine cum utraque ripa 18° declivi prono coniuncta. Pronum Pontem Aelium cum ripa sinistra coniungens erat tribus arcibus ad finem versus minuentibus sustentata, quum pronum

ripam dextram attingens arcubus duobus. Inscriptio dedicatoria anno 1375 transcripta (ex qua annum Pontis aedificati novimus) pluteum hodie non exstantem fortasse ornabat.

Christiana aetate ineunte fuit opus hoc Pons Sancti Petri nuncupata, sed regnante papa Gregorio Magno (590 – 604) est convenienter mutato tunc Mausolei nomini (v. supra: Mausoleum Hadriani) appellationem Pontem Sancti Angeli (posterior etiam *Ponte S. Angelo*) adepta. Anno Iubilaeo 1450 AC lorica Pontis antiqua fuit propter pressuram immodico numero perigrinorum piorum allatam confracta ac nova est ei postridie substituta. Effigies Pontem hodie decorantes diverso tempore collocatae sunt. Duo signa Sanctorum apostolorum ad Pontis introitum stantia, alterum Petri et alterum Pauli, sunt iussu Clementis VII, anno 1535 facta et posita. Angelorum autem signa decem, symbola Passionum Christi tenentium, quae sunt ab utraque parte transitus disposita, fuerunt anno 1669, mandatu papae Clementis IX et opera discipulorum Ioannis Laurentii Berninii (*Gianlorenzo Bernini*) secundum magistri proplasmata confectae.

Interim anno 1893 utrumque primum Pontem Aelium cum ripis Tiberinis coniungens fuit construendarum obicum causa demolitum, cuius loco duo novi arcus laterales magnitudine mediis aequales aedificati sunt. Ob eam rem via supra Pontem dicens omnis librata exstitit. Quae cum ita sint, tres tantum arcus in medio Ponte et quattuor pilae eos fulcientes nunc de antiqua structura exstant.

Pons Neronianus: Situs erat haud procul a Ponte Aelio, ad inferiorem Tiberis partem, eo loco quo Via Triumphalis ad ripam dextram accedebat. Initium Pontis quamquam adhuc in obscuero manet, suspicatum est eum tempore Neronis (54 – 68) ad coniungendum Martium campum cum Campo Vaticano, eo loco videlicet, ubi Circus Neronis erat situs, aedificatum fuisse. Saeculo IV iam forsitan ruinosus erat, nam Regionariis non memoratur. Est primum in Mirabilibus, id est saeculo XI, notatus. Ineunte autem saeculo XVI Papa Iulius II Pontem restaurari facturus erat. Posterior tamen Pons destructum fuisse appetet. Hodie relicta fundamentorum sunt caloribus aestivis tantum, ubi aqua in Tiberi decedit, visibilia.

Pons Fabricius: Sinistram Tiberis ripam iuxta Theatrum Marcelli cum Tiberina insula coniungit. Hic antiquissimus pontium Urbis adhuc usum habentium est anno 62 AC, ut Cassius Dio (XXXVII, 45) refert, loco prioris lignei aedificatus. Huius autem aedificationis auctorem ex quattuor in frontibus arcuum collocatis inscriptionibus novimus, L. Fabricium illo tempore munus «curatoris viarum» exsecutum appellantibus. Pons erat ex tofo firme (*peperino*) ac vulgari tofo constructus et lapide Tiburtino ex parte vestitus. Metra 62 longus et 5, 5 latus est. Nititur duabus fornicibus modice depresso et una pila ambobus eis communi. Haec autem pila est lumine etsi fornicato, sed contiguis fornicibus multo angustiore (quisque enim arcus 24, 5 metra in latum habet) ad pressionem redundantium aquarum minuendam perforata. Interim parastades



Hae nomen quoque recentius, id est Pontem Quattuor Capitum (*Ponte dei Quattro Capi*) structuae dederunt.

Tuscanicae sunt ad latera luminis positae, binam Pontis frontem clare dividentes et eo ipso distinctam visu facientes. Summo autem Ponte hermae duae quadrifrontes ac ad introitum de ripa sinistra ex utroque latere constantes pro columellis fortasse ad aeneam loricam Pontis pristinam, posterius perditam serviebant.



Pons erat anno 21 AC, a cura consulum Q. Lepido et M. Lollio restauratum (quod inscriptiones minores in arcuum frontibus referunt), propter damnum alluvione anni 23 illatum. Etiam aliis temporibus Pons mutationes varias passus est. Via Pontis, exempli gratia, fuit regnante papa Eugenio IV (1431 –1447) lapide Tiburtino strata. Item anno 1679 papa Innocentius XI novam Ponti loricam in antiquae locum substituit. Denique idem papa eodemque anno, vestimento primori paene toto adempto Pontem opere latericio vesciit, sicut inscriptio in summo Ponte confirmat. Nomen Pontis hodiernum est *Ponte Fabricio*.

Pons Cestius: Una cum Ponte Fabricio rectam viam ripam Tiberis sinistram cum ripa dextra coniungentem conformavit. Aedificatus est medio saeculo primo AC circiter, L. aut C. Cestio (eodem suspicabiliter ac in Sepulcro Cestii condito; v. supra). Anno autem 369 PC fuit ex integro in eodem loco constructus, anno subsequente dedicatus et Pontem Gratiani nominatus. Ex tribus fornicibus huius pontis medius solum ad conditionem quarti saeculi pertinet, quum duo externi inter annos 1888 et 1892 sunt novis substituti. Pons nihilominus Cestius (*Ponte Cestio*, pridie tamen *Ponte di San Bartolomeo*) hodie appellatur.

Pons Aemilius: Primus Romae lapideus pons, constructus anno 142 AC censoribus P. Cornelio Scipione Aemiliano et L. Mamertino supra pilas iam anno 179 a cura M. Aemilii Lepidi et Fulvii Nobilioris constitutis, in loco quo ligneus pons antea durabat, scilicet apud Forum Boarium et paulo inferius Tiberina insula. Sex fornices habuit. Pons Aemilius erat quum tempore antiqua, tum post antiquitatem exitam saepenumero violentibus alluvionibus laesus ac interdum etiam interruptus. Nec mirum eum funditus restructum fuisse. Itaque relictum eius adhuc post potentissimas alluviones anni 1598 et 1887 extans, id est fornix unicus se medio Tiberi erigens et vulgo *Ponte Rotto* (Pons fractus) appellatus, artem architectonicam temporis Augustani, sed etiam magis Renascentiae praesentat.

Pons Sublicius: Erat antiquissimum Urbis pontium, ripas Tiberis apud Forum Boarium, inferius loco quo posterius Pons Aemilius exstitit, coniungens. Fuit Saeculo VII AC rege Anco Martio constructus (L I, 33; Pl Numa 9). Omnis erat ligneus, sine ulla alia materia suppleta effectus (Pl Ibid.; PM XXXVI, 10; Serv VIII, 646). In sacris Urbis principalibus numerabatur eximiae suae vetustatis causa; ita cura singularis erat pontificum, eum identidem reficientium. Nummi aetate Imperii emissi Pontem cum statuis ad utramque extremitatem constitutis ostendunt. Saeculo IV integer etiam restabat (HA Ant. Pius, 8; Not app.), sed paulo post est destructus.

MONIMENTA TRANSREGIONARIA:

Aquaeductus

Muri et portae

MONIMENTA IGNOTAE vel INCERTAE LOCATIONIS:

Monimenta Asinii Pollionis: Thesaurus operum statuariae Asinio Pollione, fautore nobili litterarum et artium anno circiter 38 AC conditus et conjecturaliter in futura area Fororum imperialium alicubi disposita. Quo durabant inter alia: *Praxitelis* Maenades aliter Hyades nuncupatae, *eiusdem* Caryatides et Sileni (PM XXXVI, 23); *Scopae* Canephoros quaedam (Ibid., 25); *Cephisodoti* Venus (Ibid., 24); *Apollonii et Taurisci de Trallibus* Zethus, Amphio et Dirce, opus magnitudine amplissimum, ex uno lapide sculptum et de Rhodo, qua factum erat, Romam invectum (Ibid., 34); eius imitatio in Thermis Caracallae (v.) posterius posita erat.

Aedes Honoris et Virtutis (Mariana): Hoc fanum C. Marius (unde et Mariana cognomen) ex praeda bellica ab eo Teutonis anno 102 AC et Cimbris anno 101 AC erepta (Fest 344), conjectarie in proclivitate Arcis Capitolini construxit. Architectus Aedis erat *C. Mucius*. Festus (344) eam «summissiorem aliis» appellat, Vitruvius (VII, praef., 17) tamen valde laudat, quod perfectum commensum in hoc opere servavisset ac ideo «si marmoreum fuisset, ut haberet

quemadmodum ab arte subtilitatem sic ab magnificentia et impensis auctoritatem, in primis et summis operibus nominaretur». Idem Vitruvius (III, 2, 5) affert Marianam aedem pro exemplo aedis peripteri legitimi quamquam sine postico. Ex quo liquet hanc peripteron sine postico neque marmoream genereque fortasse Corinthiam fuisse atque sex columnas in fronte quum undecim ad latera, ambulationis autem latitudinem aequam ac singuli intercolumnii habuisse. Ad hoc addendum est Aedem Marianam si quidem forma legitimam (aestimante Vitruvio) videlicet non geminam et eo ipso ab Aede eiusdem dedicationis ad Portam Capenam (v. supra) locatam, quam pontifices dedicationis causa geminam exstisset postulaverunt, differentem fuisse, ergo postulata religionis utriusque aedi exhibita diversa erant, potissime propter temporum, quibus construebantur, differentiam. [De reverentia Marii Aedem construentis adversus anticipata augurum interdicta Festus (344) refert].

GLOSSARIUM NOMINUM:

GLOSSARIUM TERMINORUM: